GYMNASIJ TICINENSIS HISTORIA, ET VINDICIAE A SAECULO 5. AD...

Antonio Gatti

GYMNASII TICINENSIS, HISTORIA

GYMNASII TICINENSIS
HISTORIA, ET VINDICIÆ
A Sæculo V. ad finem XV.
Et plura de ejusdem Urbis antiqua Nobilitate.

AVTHORE

ANTONIO GATTO

In eodem Gymnasio Antecessore.

AD

EXCELLENTISSIMVM

SENATVM

MEDIOLANENSEM.

MEDIOLANI MDCCIV.

Typis Iosephi Pandulfi Malatestæ.

Superiorum permissu;

Cum Privilegio.

AMPLISSIMI PATRES.

VT me benignitas ve-
ſtra, Patres Con-
ſcripti, ad hoc
laudabile Miniſte-
rium Anteceſſoris
evexit, illud ſemper mihi ſtudium
fuit, omnibus probandi me erga

Vos gratum, & memorem beneficij; quorum utrumque me assequuturum facile speravi, si ad gloriam hujus inclytæ Vniversitatis illustrandam toto animo inniterer. Hoc mihi autem in eo præsertim situm esse visum est, si ita jurisprudentiæ arcana juvenibus panderem, ut me docuisse, & illos didicisse nunquam pœniteret: ex hoc enim, sicuti sapientibus Viris Respublica locupletatur, in quo potissimum fœlicitas populorum sita est: ita etiam gloria gymnasiorum augescit, quia ad ea finitimæ, & extraneæ gentes confluunt sapientiam hausuræ, ut inde vita frui valeant beatiore: Sed ut illud assequerer duo mihi erant impedimento. Tempora

pri-

primum, quæ ſtrepitu bellorum turbata illuſtrium ſtudiorum cultui plurimum nocent. Deinde peruerſæ conſuetudinis corruptela, quæ juvenes à vera Divini, humanique juris notitia maximè avocat, ex qua unicè recta, & ſana juris doctrina percipitur, ac tanquam ex puriſſimo fonte legalis ſcientia dimanat. Hiſce tamen difficultatibus nihil abſterritus, quum primùm cathedram de Actionibus conſcendi, vocem, atque ingenium in hanc cauſſam induxi, eorum inſiſtens veſtigiis, qui antiquiſſimum juriſprudentiæ candorem ſæculorum barbarie infuſcatum nobis reſtituerunt: ſed non eà, qua ſperaveram, comitate fuere recepti

Cuiacius, Alciatus, Conanus, Duarenus, Briſſonius, atque Giphanius, aliique hujus ordinis Iureconſulti; adeò proceſſerat perverſa diſcendi conſuetudo! licet adverſus eam mei iampridem Collegæ inſurrexiſſent. Nihil tamen remiſit morbi cura: quin impenſiùs increbuit, quum vidi luem illam ita graſſari, ut ægroti medicinam odiſſent, & ſanam doctrinam dedignantes Sophiſtarum coronam aucuparentur. Cum tamen illa difficili nimis negotio videretur perfici poſſe, optimum duxi, etiam aliò curam, ſtudiumque convertere, ut tandem, quod Vobis debeo publicè teſtarer, & antiquiſſimi hujus Gymnaſii gloria, ſua vetuſtate

non

non leviter fatiſcens, citius illuſtraretur; Iccirco ad ipſius hiſtoriam memoriæ prodendam, vindiciaſque parandas totus incubui. At, cum deeſſent antiqua monumenta veteri temporum calamitate nobis erepta, neque authorum præſidium, unde ea haurire poſſem, mihi præſtò eſſet, diutius, quam vellem, operi parcendum fuit. En ipſum tamen aliquando Patres Conſcripti. En Vobis per undecim ſæcula Scholæ Ticinenſis Hiſtoriam, ejuſque Vindicias, quas Vobis tandem grati animi ergo humiliter conſecro; Paruum quidem munuſculum Majeſtati tanti Senatus; Sed primitias, qualeſcunque eæ forent, gratas ſolere eſſe numinibus, veteres docuerunt,

ideò·

ideoque eas offerre ſolebant Apollini. In illis Gymnaſii Veſtri veterem gloriam, quæ hucuſque in luctu, & ſqualore jacuit, inſpicietis aliqua ſaltem luce donatam, ſi non eà, quam meretur, & ipſe cupio. At defuit mihi tempus, & diligentia, quibus ab illa per me ipſum omnes tenebras dimoverem, quod fortaſse facient alij, ut etiam atque etiam exopto. Benigno interim Veſtro Patrocinio dignamini Patres Ampliſſimi, libellum iſtum, licet non digna Vobis eruditione refertum, quo ut enixè Vos deprecor, facilè patiamini obſervantiæ erga Vos meæ, ſtudioque meo in hanc inclytam, & præſtantiſſimam Vniverſitatem aliqua ex

parte

parte ſatisfieri: dum alia meditor Veſtris mandatis obſequens, ad Veſtram gloriam, totiuſque Reipublicæ beneficium.

Humillimus obſequentiſs. Servus

Antonius Gattus.

PRÆ-

PRÆFATIO.

OPus sanè arduùm, & difficultatibus obsitum historiam conscribere, sed longè difficillimum rerum caussas, & progressiones oblivione iam consepultas ad memoriæ vitam revocare. Quamobrem ego iamdiu cupiens Gymnasij Ticinensis originem, & progressum literis mandare, non antea operi manum admovi, quam me non satis fidentem authoritas suscepti muneris excitavit, et confirmavit. Vix juris laurea insignitus incideram in libel-

bellum quendam Karoli Antonij de Luca Melphictani, inscriptum Laurea legalis. *Avide cœpi illum pervolutare, ibique vidi omnes ferè publicas Academias recenseri. At nullum, nescio quo fato, verbum de Ticinensi Gymnasio. Exarsit statim in animo desiderium vindicandi ab oblivione, et illius Authoris incuria celeberrimam Academiam, non enim prætereundum videbatur Gymnasium, in quo clariores cujuslibet scientiæ Viri omnibus sæculis professi sunt: quod Iureconsultum latere non poterat, si ipsi noti Baldus, Præpositus, Iason, Decius, Curtij, Gallaratus, Tornielli, Tortus, Costa, Menochius, Merenda, Ramos, Pechius, et alij plurimi, qui jus civile in*

Tici-

Ticinensi schola publicè docuerunt. Verum me ab opere primùm absterruit ipse primus difficultatis aspectus, et graviores curæ, quæ me temporibus ita postulantibus, totum sexennium detinuerunt. Interim verò aliò curis animum avocantibus, tepere primùm, mox etiam frigescere primus ille scribendi ardor: identidem tamen, quoties cum eruditis viris mihi sermo erat, de illius Authoris incuria, mentionem iniiciebam, sperans fore ut aliquando ex iis aliquis excitaretur ad justas Academiæ Vindicias. At nemo consilium arripuit, quod suggesseram. Aliis enim otium: Aliis animus defuit; Alios vergens in occasum ætas impediebat. Hoc loci res erat, quum me Senatus Excellentissimi

bene-

beneficentia Cathedræ de Actionibus in Gymnasio vacanti præfecit, et tunc quod ante fuerat grati animi desiderium, officium muneris existimavi. Itaque rem statim alacriter aggredi, monumenta universitatis undique perquirere, & percontari: sed post depopulationem Vrbis initio XVI. sæculi, omnia interiisse referebant; Et, si quæ reliqua superfuerant, ab aliquibus aliorum thesauris inhiantibus avidè fuisse direpta, et per summum reipublicæ detrimentum ad privatam laudem, quasi in penetralibus condita. Ad hæc illud quoque incommodum accedebat, quod libri deerant è quibus veritas pluribus modis infracta erui posset. Nec suppetebant veteres Italorum, et

Gal-

Gallorum historiæ, atque Vrbis antiqua monumenta sciscitanti mihi soli Saccus, Breventanus, Spelta, ac alii posterioris ævi Historici offerebantur, tanta utique fide digni, quanta eos consensus Eruditorum Virorum honoravit. Hinc nulla pene fœlicis exitus supererat spes, & iam pene consilium abieceram (præsertim, cum propter illud me viderem in offensionem multorum incurrere, qui contra communem gloriam conspirasse turpiter videbantur) quum me Romam sors inopina perduxit. Vix in hoc terrarum Orbis emporium delatus, cum V. C. Iusto Fontanino, supra omnem laudem erudito amicitiam inivi: qui cum mihi celebris Bibliotheca Cardinalis Iosephi Renati Imperialis

humanissimi Principis, cujus est Præfectus, copiam fecisset, desiderium illud vindicandæ Ticinensis Academiæ, quod ferè deperierat, rursus revixit: propterea cum illo hoc meo scribendi communicato consilio, nedum istud, difficillimi licet eventus, ille approbavit, sed præterea fovit, omneque studendi commodum impertivit. Suscepto opere novos addidit stimulos Abbas Dominicus Passionæus græcæ, et latinæ studiosissimus eruditionis, atque amicissimus: quapropter animum ita in hanc caussam induxi, ut quamvis peregrinus in Vrbe ante quartum mensem laborem istum absolverim, ejusque synopsim typis editam evulgaverim: quæ cum ad CLEMENTEM XI. PONTI-

FI-

FICEM MAXIMVM literarum amantissimum fuisset delata, effecit, ut ille me ad osculum pedis summa benignitate exciperet: quod quantum a magnanimitate SANCTISSIMI PRINCIPIS sperare debeant literæ, satis ostendit, cum me solo operis compendio notum tanta dignatus fuerit humanitate. Immo eo in me Clementiæ, et benignitatis devenit OPTIMVS, ET SANCTISSIMVS PONTIFEX, ut statim post meum reditum in Ticinense Gymnasium me penitus immerentem, per laudatissimi Viri literas singulari honore dignari velle, significarit: quod sanè nimio rubore suffusus verbis exprimere non valeo. In patriam reversus, nihil enimvero de edendo opere cogita-

bam; illo nempe Horatii monito edoctus

nonumque prematur in annum.

At quum me suis literis ad illud statim edendum impulerint Viri toto terrarum Orbe celeberrimi, Antonius Magliabecchius, et Ludovicus Antonius Muratorius, ille Regiæ Celsitudinis Magni Ducis Etruriæ; *hic verò* Serenissimi Ducis Mutinæ *Bibliothecarius partum fortassis adhuc immaturum in lucem prodere non dubitavi.*

En igitur humanissime lector Ticinensis Universitatis Historiam, atque Vindicias, quas unico libello complecti volui, ut unico veluti aspectu conspiceres illius vetustatem, atque etiam cognosceres, quantum a veritate aberraverint, qui

tan-

tantam huic Vrbi gloriam invide- runt. In primo, secundo, et tertio operis capite præcipuas Ticini laudes, et plures hucusque ignotas, vel dubias summatim collegi, easque significavi potius, quam exposui, quum non mihi hic videretur locus latius eloquendi de Vrbe. In decimo Capite, ubi mihi cum Ioanne Launojo res est, non omnia, quæ Launojum suspectæ fidei accusant, exposui: neminem quippe latere arbitror ex iis, quæ attuli ipsum non inscientem, sed de industria peccasse: Qua eadem arte lapsum fuisse autumo Danielem Huetium cap. XV. iccirco plura præterii, quæ ornatui potius, quam caussæ inservire mihi, et Viris Eruditioribus visa sunt. In confutandis errori-

bus, in quibus Papiensis Academiæ memoriam involvit Scriptorum aliquorum malitia, vel negligentia, magnum sanè adhibui studium, sed quantum permisit defectus diplomatum, quæ nobis hucusque invidit sæva temporum, et bellorum edacitas: quorum ego, si quando temporis progressu in lucem eruantur, copiam tibi faciam in secunda Historiæ parte, quam de Viris Illustribus hujus Universitatis ad exemplum Antonii Riccoboni de Gymnasio Patavino disponam, si mihi tamen illud otium dabitur, quod inter præsentes curas spero, atque desidero. In transcribendis Scriptorum locis plus fortasse, quam par erat, diligens fui; sed hoc tribuendum erat illorum curiositati,

qui-

quibus ipsi Codices, ob eorum raritatem, patere non possunt. Interim bono animo libellum istum excipe, et alia usqueadhuc desiderata non solum a me, sed etiam ab aliis Scriptoribus expecta, qui nunquam deerunt, nisi deerunt Mæcenates.

IMPRIMATVR

Fr. Ioseph Maria Reina Ord. Præd., Sacræ Theol. Mag., ac Commissarius Sancti Officii Mediolani &c.

Bartholomæus Crassus Canonicus Ordinarius pro Eminentissimo D. D. Cardinali Archinto.

Angelus Maria Maddius pro Excellentissimo Senatu.

SYNOPSIS
TOTIUS OPERIS.

CAP. I.

SItus, & origo Urbis Ticinensis: Blondi de ejus antiquitate sententia rejecta. Ejusdem Urbis varia nomina; atque Antonini de ejusdem magnitudine testimonium. A Karolo Magno *nobilissima* appellata, & quantum ipse gestierit ob eam receptam.

CAP. II.

Pyrrhi Ligorii Sententia de Colonia Papiæ examinatur. Tristani opinio hac de re confutata: Joannis Harduini locus de eadem illustratus: Bernardi Sacci error notatur; & controversia de Authore Actorum S. Syri refertur. Ticinensem Urbem fuisse Municipium, & Coloniam Romanorum probatur.

CAP.

CAP. III.

Urbs Ticinensis perpetua sedes Regum Langobardorum; ibi Thermas, Amphiteatrum, & magnificum Palatium extruxit Theodericus, quod deinde dictum *Civitatula*, & *Regia Ticina*. P. Eustachii a S. Ubaldo palmaris error apertè refellitur, ac contra ipsum, & alios nobilitas Urbis Ticinensis supra alias Liguriæ urbes ostenditur.

CAP. IV.

Scholæ Ticinenses sub Boethio floruerunt. Sacci, Bellovacensis, & Vossii de primo anno Episcopatus Ennodii opinio reiicitur. Ennodius Ticini magistrum gessit: ejusdem locus explicatus contra Sirmondum. Studium Epiphanii Ticinensis Episcopi pro restaurandis moribus, & scientiis.

CAP. V.

Petrus Pisanus in Urbe Papiensi Magister Parisios accitur a Karolo Magno. Ante hujus adventum in Italiam florebant Papiæ liberales artes, ibique celebris disputatio

tatio

tatio Petri Pisani cum Julio Judæo. Jo. Albinus Scotus Papiam mittitur a Karolo Magno, ut sublimiores scientias traderet, hocque pluribus antiquis Scriptoribus comprobatur.

CAP. VI.

Monachum Papiam missum a Karolo Magno, nomine Jo. Albinum fuisse, confirmatur. Sangallensis, ac plures alii Historici veteres illustrantur.

CAP. VII.

Adventum Jo. Albini Papiam contigisse circa annum DCCLXXX. ostenditur: contrariæ sententiæ confutantur.

CAP. VIII.

Petrus Pisanus è scholis Papiensibus in Galliam vocatus a Karolo Magno primus Parisiensis Studii institutor. Papienses Scholas illis sæculis non Episcopales, seu Cœnobiales, sed publicas, & universales fuisse, statuitur.

CAP.

CAP. IX.

Monaſterium S. Auguſtini Jo. Albino a Karolo Magno aſſignatur ad docendum. In ipſo Monaſterio aderant Benedictini ante Karolum Magnum. Canonicis Regularibus in eodem locus datus ante annum MCCXXII. contra P. Mabillonium: ibique Apparitio S. Auguſtini cuidam Canonico ſub XI. ſæculo.

CAP. X.

Scholas Papienſes fuiſſe erectas in publicam Academiam cum privilegio Karoli Magni, & Ludovici Pii conjecturæ. Synodi VI. Eccleſiæ Gallicanæ de Scholis locus expenditur, & Cironii, ac Thomaſſini opiniones circa ejus verum intellectum refelluntur. Sangallenſis hiſtoria a Launoii cenſura vindicatur, & ipſe plurimorum errorum apertè convincitur.

CAP. XI.

Karoli Calvi erga ſcientias ſtudium, & amor. Omnia Papienſibus confirmat privilegia. Papia ab Hunnis incenſa, ſed non ever-

ſa

ſa contra Frodoardum, & Hugonem Flaviniacenſem. Celebris diſputatio coram Othone II. inter Otricum, & Gerbertum anno CMLXXXXV.

CAP. XII.

Lanfrancus Papienſis Magiſter, omnium ſuæ ætatis doctiſſimus, Pariſienſes ſcholas a Petro Piſano inſtitutas reſtaurat ſub anno MXXX. Papiæ Anſelmum de Badagio deinde Alexandrum II. Pontificem Maximum diſcipulum habuit.

CAP. XIII.

Auth. habita Cod. *ne filius pro patre* in campis Roncaliæ apud Padum a Friderico Ænobarbo rogata contra Lupoldum Bebembergium, atque Rebuffum. Roncaliæ campi, & Imperatorum conventus in illis deſcribuntur.

CAP. XIV.

Error Bebembergii de occaſione ejuſdem Authenticæ, & Bulæi de occaſione conventus Roncaliæ anni MCLVIII. Non ſolius

Bo-

Bononienſis Academiæ reſpectu lata *Auth. habita*, ſed cæterarum omnium totius Italiæ. Hoc tempore Langobardi legum peritiſſimi. Papienſium cum Friderico merita, & officia. Friderici in Papienſes beneficia, & privilegium de moneta. Fridericus Papiæ triumphans, & coronatus.

CAP. XV.

Petrus Daniel Huetius erroris notatur, ac XII., & XIII. Sæculo Viros eruditiſſimos floruiſſe in Italia, demonſtratur.

CAP. XVI.

Scholas Papienſes a Karolo IV. non inſtitutas, ſed reſtauratas, ipſo Cæſareo diplomate probatur: Hinc Paulli Merulæ, Laurentii Schraderi, & aliorum error refellitur.

CAP. XVII.

Papienſe Gymnaſium a Karolo IV. reſtauratum, a Bonifacio IX. Pontifice Maximo confirmatur, & a Ludovico Maria Anglo novis privilegiis illuſtratur.

GYM-

ΑΝΤΩΝΙΩΙ ΤΩΙ ΓΑΤΤΩΙ.

Τίσ μύθοισι δύναιτ' εἰπεῖν ὅσα χάρματα Ἄνδρεο
Τικίνυ τῆσ αἰγληέσσασ πολλὰ νοῦσι
Οὕνεκα Βίβλοι' ἣν Γαττοσ νῦν πέμπεδ' ἐσ αὐγὰσ
Ἠελίυ. Τοῖσ γὰρ Γαττοσ μέγα κῦδοσ ὄπαζε.
Ὅττι διηγεῖται νόον, ἱερὰ, θέσκελα ἔργα
Τῶν πολιτάων, θεσπεσίασ ἢ φράζε, καὶ ἀρχὴν,
Τεύχεα, καὶ θερμὰσ, καὶ οὐνόματ' ἐσθλὰ πόληοσ.
Ἠ' δὲ λόγω γράφε παιδευτήρια, καὶ Βασίλεια
Τεῖλα, ἠδ' ὅττ' ἦγε ἀποίκι' ἀγηνοριδάων
Ῥωμαίων τότε γῆσ, καὶ ἀμαιμαχέτοιο θαλάσσησ
Ἀρχομένων, καὶ μύρια λαοῖσ ἄλγεα θέντων.
Ἠ' δ' ὅτε δηλοῖ ὃν φέρε Βάρβαροσ αἰπὺν ὄλεθρον
Δώματα πέρθων τὰ κλυτὰ, κ' ἱερὰ πάντα θεάων,
Κ' ἀθανάτων βαρυδούποσ δ' ὥσπερ πυρσὸσ ἀλίτησ.
Ταῦτα μὲν ἁπλῶσ φράζεσ μειλιχίοισιν ἔπεσσι
Πρῶτοσ Γαττε μεγιστε πάλαιά τε πολλά τε εἰδώσ.
Ὄλβιε μᾶλλον. Τίσ μέν τοι μάκαρ ἄλλοσ ὁμοῖοσ;
Σεῖο ἐπεὶ φρεσὶν ἄφθαρτον μέγα ἔργον ἔρεξεσ,
Ἔργον ὃ τεύξεν σοι παλλὰσ γλαυκῶπισ Ἀθήνη.
Τοὔνεκα σ' ὑμνησεύσ' αἰεὶ ἔυμνον ἐόντα
Οἳ τὴν παιπαλόεσσαν Τίκινον δὲ ναίουσι.
Σ' οὗ δοίη χαρίεντοσ ἰδεῖν βιότοιο γαλήνην
Ὅσ γαῖαν ἔτευξε, καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Ὥσ ἡμῖν δοίησ πολλ' ἁβρὰ, καὶ ἄγλαα δῶρα.
Καὶ ἄλλ' ἔργ' ἃ μὲν αὐτὸσ ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσησ.
Οὕτω ἀλύξεισ, καὶ θάνατον, καὶ κῆρα μέλαιναν.

Blasius Garyophylus.

AN-

ANTONIO GATTO
Ticinensis Historiæ Scriptori eruditissimo

Carmen e Græco Latinè redditum a Michaele Maddio.

CArmine quis referat totam diffusa per urbem
Gaudia, Ticini quam præterlabitur unda,
Ut docti vulgata typis est pagina Gatti,
Qui decus accumulat Ticino splendidus Author?
Gentis nempe refert leges, primordia, thermas,
Mœnia, regalesque domos, & Palladis aulam,
Bella, artesque virûm, multos, quibus inclyta fulsit
Urbs quondam, titulos, habitata Colonia magnis
Romulidis, cunctis qui jura verenda dederunt
Gentibus, imperio terrâque, marique potentes;
Dirumque exitium, quod barbarus attulit hostis,
Evertens clarosque lares, augustaque templa,
Qualis cuncta vorat rapidæ vis effera flammæ
Hæc, quæ longævis tenebris obducta latebant,
Ingenti studio veterum monumenta revolvens
Primus, Gatte, refers, verbisque illustribus ornas.
Per te prodit opus, cui nulla infensa nocebunt
Sæcula, quod meritis Ticinum laudibus ornet.
Ergo tibi placidæ tranquilla det otia vitæ,
Qui Cælo Stellas, & terræ condidit orbem,
Ingenii ut prosis mortalibus ubere fœtu,
Sedulus & condas, quod postera prædicet ætas;
Nomine sic vives fugiens oblivia Lethes.

AD ZOILUM

Ne Rosmiri Pastoris Arcadis hoc opus lædat.

CUjus Tempus edax non rosit, Zoile, muros,
Te neque dente putes rodere posse libros.

Iosephus Maria Stampa Cler. Reg. Som.
Inter Arcadas Euristeus Parebasius.

GYMNASII TICINENSIS HISTORIA.

CAP. I.

Situs, & origo Urbis Ticinensis. Blondi de ejus antiquitate sententia rejecta. Ejusdem Urbis varia nomina; atque Antonini de ejusdem magnitudine testimonium. A Karolo Magno nobilissima appellata, & quantum gestierit ob eam receptam.

DE initio, & progressu Gymnasii Ticinensis mihi scripturo pauca quædam de Urbe prius dicenda sunt. Sita est Urbs Ticinensis prope Ticinum fluvium, qui ejus mœnia alluit *famosioris aqua vicinitate cunctantior*, ut scribit Franciscus Petrarca lib. V. Rerum

Senilium epist. 1. De ejus origine variæ sunt veterum Scriptorum sententiæ. A Lævis, & Maricis fuisse conditam, scribit Plinius lib. 3. cap. 17. *Qui eos*, ait, *ex Libiciis, & Vertacomacoris condidisse Ticinum*. Cum Plinio consentit Livius Historiæ Romanæ Dec. 1. lib. V. cap. 19. ubi inquit. *Post hos Salvii, qui præter antiquam gentem Lævos Ligures incolentem citra Ticinum amnem expulere*. A Gallis ædificatam, quum primùm Italiam ingressi sunt, tradit Paullus Diaconus in Historia Langobardorum lib. 2. cap. XI., quos nomen Galliæ Cisalpinæ huic Provinciæ dedisse refert post conditas Urbes Ticinum, Brixiam, & Mediolanum. Livius tamen de Mediolano tantum verba facit, quod ipsos Gallos condidisse inquit, *fusis acie Tuscis haud procul Ticino flumine*; Qui Tusci omnia loca trans Padum usque ad Alpes tenuere. Quare ante Gallorum adventum Ticinum fuisse conditum veriùs credo, motus etiam Eutropii authoritate, qui Romanæ Historiæ lib. IV. tradit: Insubres, & Bojos, a quibus Ticinum condita est, contractis in unum viribus cum Cenomannis, Cremonam, & Placentiam devastasse. Quamobrem apparet Insubres, & Bojos Ticinum ædificasse,

casse, antequam Galli advenissent, hosque non se illis conjunxisse ad Ticinum ædificandum, sed Cremonam Placentiamque vastandas, quod illos fecisse scribit Polybius Historiæ Romanæ lib. 3., quia Romani erexerant in Colonias Urbes istas, ut obstarent Annibali Italiam cum exercitu aggredienti. Utcumque hoc evenerit, illud certissimum est apud Historicos Urbem hanc fuisse habitam antiquissimam. Undè licet receptum sit eam a Ticino flumine nomen habuisse, quando tamen hoc illi nomen impositum, & quando primùm muris fuerit cincta, nullam memoriam superesse scribit Philippus Cluverius Italiæ Antiquæ lib. 1. cap. 27.. Hinc patet Blondi supinus error, qui putat secundo bello Punico Ticinum fuisse Vicum, quia Authores, qui pugnam referunt inter Annibalem, & Scipionem commissam, nullam de eo mentionem fecerunt. Enimvero ante hoc prælium Ticinum fuit ædificatum, neque ulla se occasio scriptoribus obtulit Ticini memorandi, cum prælium initum fuerit inter Padum, & Ticinum, non ultrà fluvium, propter quem sita est urbs, quæ cum idem fere nomen habeat ac flumen, non facilè distinguere potuerunt antiqui Scriptores, vt observavit Pe-

trarca laudata epistola 1.. Præterea neque omnibus certum est certatum fuisse prope Ticinum, quum etiam Cornelius Nepos in Vita Annibalis tradat *inter ipsum, & Scipionem dimicatum fuisse de Clastidio apud Padum*. Quamobrem ex eo, quod Ticinensis Urbis mentionem nullam fecerint Authores secundum bellum Punicum describentes, satis non probatur hanc Urbem illo tempore conditam non fuisse. Regnante tamen Augusto illam fuisse Urbem probat Strabo Geographiæ lib. V.; Quinimmo ipse Augustus aliquando in ea commoratus est, ut legitur apud Valerium Maximum lib. V. de Pietate erga Fratres cap. 5. ubi tradit, Tiberium illuc venisse, ut Cæsarem inviseret; & hoc etiam innuit Petrarca supra memorato loco, qui ad Joannem Boccacium ita scribit. *Vidisses, & quem, ut arbitror non vidisti Ticini ripa amnis, Ticini Vrbem impositam, Papiam Iuniores vocant, quasi admirabilem, ut Grammaticis placet, & famosam dici Longobardorum Regiam: ubi prius horum antè ætatem, sub Germanici motum belli, Augustum Cæsarem fuisse comperio*. Verum ante Augustum in ea fuisse Germanicum, constat ex Tacito lib. 3. Annal. *Ipsum quippe*, inquit, *asperrimo hyemis*

mis

mis Ticinum usqueprogressum, neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse, ut etiam lib. 1. Histor. bis Ticinum venisse Valentem tradit. Neque parva Urbs erat, sed magna, ut apparet ex Itinerario Antonini, ubi signum C. eidem adponitur, quod magnarum urbium Notam fuisse testatur Philippus Cluverius Italiæ Antiquæ eodem cap. 27.; Non tamen tunc dicta *Ticinum*, sed *Ticenum*, ut in eodem Itinerario Antonini, & in Itinerario Hierosolymitano conspicitur; quod etiam servatum esse inveni tempore Theoderici. Papia inde vocata est, quod nomen recentius vidimus agnovisse Petrarcam: at quando huic Urbi Papiæ nomen impositum fuerit hucusque incertum. *Paveia* etiam aliquando dicta, ex quo fortassis orta vox Italica *Pavia*: Sic Annales Francorum sub ann. 774., & 787. scripti in Monasterio Sancti Nazarii ad Rhenum, & a Marquardo Frehero editi apud Andream Duchesnium tom. 2. pag. 4., & 5. ubi: *Karolus Rex Francorum de Roma revertens ad Paveia civitatem Longobardos congregavit*. Romano autem labente Imperio omnino deleta est Urbs ista sub Odoacre; verum cura Epiphanii ejusdem Episcopi, non solum in pristinam gloriam restituta est, sed

illuſtrius aucta atque a Theoderico regalibus ædificiis ornata, & amplificata. Hinc ita crevit ſub Gotthis Regibus, & Langobardis ipſius fama, & ſplendor, ut *Secunda Roma* meruerit appellari. Quam rem nobis teſtatur Epigramma leoninum, marmore inciſum in ingreſſu pontis ad dexteram.

Quiſquis in hac intrat deflexo poplite, dicat
Dic prope, qui tranſis, qui Porta limina tangis,
Roma Secunda *vale, Mundi caput imperiale.*
Tu bello Thebas, tu ſenſu vincis Athenas,
Te metuunt Gentes, tibi flectunt colla potentes.

Quod Corius Hiſtoriæ Mediolanenſis parte 1. malè transfert ad laudes Mediolani, & temerè autumat lapidem illum fuiſſe Papiam delatum a Joanne Galeatio Vicecomite; nam Papiam appellatam fuiſſe *Romam Secundam* ante Joannem Galeatium conſtat ex Epitaphio Manfredi de Beccaria, & Fratrum anni 1322. quod erat in æde *Cathedrali* Papiæ, & refertur a Laurentio Schradero in Monumentis Italiæ pag. 335. cujus epitaphii initium hoc eſt.

Tres ſucceſſive Cives genuiſſe refertur
Roma ſecunda ſibi claros, quos protulit Orbi.

Immò etiam ſub Karolo Magno hoc titulo decoratam fuiſſe teſtis nobis eſt Alcuinus in

Car-

Carmine ad Karolum Magnum, quod ex Canisio refert laudatus Duchesnius eodem tomo II. pag. 190.

Rex Karolus caput Orbis, amor populiq; decusque,
Europæ venerandus apex, Pater optimus Heros
Augustus, sed, & Vrbe potens, ubi Roma secunda.

non parum quippe augebatur Karoli Magni potentia ipso dominatu Papiæ, quæ caput erat Regni Italici: Unde quanti eam fecerit probat ejusdem Epistola ad Offam Regem Merciorum apud Baluzium tom. I. Capitular. Francor. sub anno 774. quam hic integram referre placet. *Karolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanus Viro Venerando, & Fratri carissimo Offano Merciorum Regi salutem, honorem, & amorem. Cum deceat Reges potentes, & famosos amicitiæ fœdere devinciri, & mutuis gaudiis ad invicem gratulari, ut in vinculo charitatis Christus in omnibus, & ab omnibus glorificetur Vestræ Serenitati hoc eulogium duximus destinandum. Cum Nobilissimam Longobardorum Civitatem, cum suis civibus omnibus nostro Dominatui subiugaveribus, & Italiam totam nostro Imperio fœliciter subiugaverimus Christi adiutorio cui famulari desideramus, Rex Desiderius Longo-*

bardorum, Ducesque Saxoniæ, quos nostris nutibus inclinavimus, Vuithmundus, & Albion cum ferè omnibus incolis Saxoniæ, Baptismi susceperunt Sacramentum Domino Jesu Christo de cætero famulaturi. Hoc igitur salubri mandato ego Karolus Regum Christianorum Orientalium Potentissimus: Vos o Offane Regum Occidentalium Christianorum Potentissime cupio lætificare, & Te in dilectione amplecti sincerius. Quod, ut vulgo etiam pateret hoc numisma cudendum curavit.



Hunc nummum argenteum cusum sub Karolo Magno refert Blancus in Tract. Histor. Monet. Franc. p. 88.

Quem

Quem nummum refert. Fr. de Mezeray Historiæ Francor. tom. I. pag. 445. editionis 1685. eique signatus annus DCCLXXIV. ex quo refellitur eorum opinio, qui volunt anno 780. Desiderium debellatum a Karolo Magno; & probatur ante annum 801. vulgatum fuisse usum signandi annos Æra Christiana, quod contra P. Berrettam in Lychno §. I. nu. 11., & 12. probavit P. Bellinus in Responsione Apologetica ad eundem cap. 2., & alia profert Joannes Baptista Ricciolius in Chronologia Reformata tom. I. lib. 8. cap. I. in fine. Quæ res quidem satis apertè ostenditur, quum nihil magis commune, & facile videatur ad inducendum morem, quam usus monetarum: præsertim occasione tàm insignis lætitiæ, qualis extitit ob Desiderium subactum, & Papiam receptam.

CAP.

CAP. II.

Pyrrhi Ligorii sententia de Colonia Papia examinatur. Tristani opinio hac de re confutata, Joannis Harduini locus de eadem illustratus. Bernardi Sacci error notatur; Tillemontii opinio de Authore Actorum S. Syri refertur. Ticinensem Urbem fuisse Municipium, & Coloniam Romanorum probatur.

PUtat Pyrrhus Ligorius in MSS. Ottobonianis sub lit. P. verbo Papia hanc Urbem fuisse illam Papiam Romanorum Coloniam, de qua mentio in lapide dedicationis, ut ipse ait, factæ a Papienis, effoso e ruinis fori Trajani, quam hujusmodi fuisse testatur.

IMP. CÆS. DIVI. T. ÆLI. HADRIANI
ANTONINI. AUG. PII. FILIO. DIVI
ÆLI. HADRIANI. AUG. NEPOTI. DIVI
TRAJANI. GERMANICI. DACICI
PARTHICI. PRONEPOTI
DIVI. NERVÆ. AUG. ABNEPOTI. M
AURELIO. ANTONINO. GERMANICO
SARMATICO. PARTHICO
PON-

PONTIF. MAXIMO. TRIB. POT. XXVII
IMP. VI. COS. III. P. P. OPTIMO PRINC
COLON
PAPIENSI. ÆLIANI
AURELIANI
D. N. M

Sed hanc inſcriptionem referendam non eſſe ad noſtram hanc Urbem cenſent aliqui, cum aliæ inſcriptiones, in quibus de Papienis mentio eſt, ad aliam Urbem ſpectare doceant Hiſtoriæ. Joannes Triſtanus in ſuis Commentariis Tom. 1. pag. 631. loquens de numiſmate M. Aurelii, cujus epigraphem refert Comes Franciſcus Mediobarbus Papienſis in Occone pag 229.

M. AURELIUS. ANTONINUS. AUG. P.M. IMP. II. TRIB. P. XIIII. COS. II.

✠ COL. PAPIÆ. *Caput Serapidis cum modio*. Putat Coloniam Papiam fuiſſe in Mauritania Cæſarienſi, ad quod Ptolemæi teſtimonium affert in Geographia lib. 4. cap. 3., & Triſtano ſubſcribit Mediobarbus. Triſtani tamen opinio infirma eſt; nam illam Col. Papiæ epigraphem a Triſtano relatam, adulterinam eſſe docet Joannes Vaillantius in Numiſmatis Imperatorum in Coloniis Cuſis pag. 252. prim. edit. tom. 1., & ſpectare, ait, ad Coloniam Æliam Capitolinam deinde

de in Ptolemæo nullum verbum de Papia in citato cap. 3., sed solum cap. 2. mentio est de Pæpia, & græce Paipia, quod idem sonat: nec ista Urbs Colonia inscribitur, sed describitur sub Colonia Sitipha. Quin non fuisse Coloniam Papiam in Aphrica rectè probat Joannes Harduinus in Nummis Populorum, & Urbium pag. 380. addens in Aphrica solum fuisse Puppiam Urbem Proconsularem, non observato, quod de Pæpia scripserat Ptolemæus. Hinc Coloniam istam referendam vult ad Papienos; de qua Papienorum Colonia vetus est inscriptio apud Gruterum pag. 448. 4., sed ubinam fuerit illæc Colonia non docet Harduinus. Hoc nobis se indicasse putavit Camillus Peregrinus in Apparatu Antiquitatis Capuæ disc. 2. n.X., ubi, ait, Papiam fuisse quoddam Castrum ultra Sinvessam, ut ex citata Gruteri inscriptione, quæ legitur etiam apud Lipsium Inscription. Antiquar. Ord 4. nu. 14. fol. 164. pag. 2. in qua pro Papienis corrigendum est PAPIEIS. Ut patet ex marmore, quod nunc in *Campanili* Ecclesiæ Episcopalis Cariuolæ esse scribit Peregrinus, qui nobis illud restituit. Ligorius verò ad sententiam suam confirmandam ait, plures hac de re ex-
tare

tare Papiæ reliquias suorum veterum incolarum, injuria temporum devastatas, & licet mihi perquirenti omnia non patuerint, tamen inter alia monumenta extitisse ille inquit in Odoeo veteri Ecclesiæ *Cathedralis* inscriptionem hanc

DOMITIUS. M. F. PRISCUS
Q. A. IIII. VIR. A. P. AUGUR. D. D
GRATUITUS. PODIUM
CUM. LORIACA. ET ADITUS. VIVOS
EFFECIT

quam sic explicat *Domitius Marci filius Priscus, qui anno quatuorvirati a Papiensium Auguribus decretum, datus gratuitus, Podium cum Lorica, & aditus vivos effecit.* Vtrum verò ista inscriptio vera sit, an apocrypha dubitare licet ex his, quæ de Ligorii inscriptionibus tradit Clarissimus *Cardinalis Norisius*, quem citat Raphael Fabrettus Inscriptionum cap. 7. pag 507. præsertim cum Urbem hanc solum V. sæculo Papiam vocatam fuisse scripserit Bernardus Saccus in Historia Ticinensi lib. 7. cap. IX. relata quadam historia, quam fabulam esse prædicant Viri Eruditi, cum de hoc novo Urbis nomine non alii Historici veteres meminerint, præterquam Anonymus Ravennas lib. 4. Geo-

Geographiæ n. XXX. Paullus Diaconus coævus Karoli Magni, & Breventanus in Antiquitate Papiæ lib. 3. cap. 25. tabulam marmoream referens , quam dicit fuisse cum pluribus privilegiis Viterbio inscriptam a Desiderio in cujus fragmentis legebatur *veniunt a Papia Viterbienses*. Immo neque sæculo V. sed VI. sub hoc novo nomine Ticinum celebrari cæpisse sentit Tristanus Calchus Historiæ Patriæ lib. 3. pag. vltima, hocque evenisse ait regnante Victige. Ut tamen verum fatear, non leve pro his,quæ tradit Ligorius, suppeditare videtur argumentum Vaticinium S. Syri, relatum a Luithprando Diacono de Rebus Imperatorum,& Regum lib. 3 cap 2.; quod etiam extat in Actis ejusdem S. Pastoris apud Laurentium Surium XII. Septembris ; ubi Sanctissimus Vir *Delectare*, inquit, *Vrbs* Papia , *quia veniet tibi ab æternis montibus exultatio*, *non vocaberis minima*, *sed copiosa in Civitatibus*. Unde sub Adriano, & M. Aurelio Ticinensem Urbem fuisse Papiam appellatam arguitur. At cum Acta S. Syri posteriori ævo fuisse conscripta existimet Tillemontius in Monumentis Historiæ Ecclesiasticæ tom. 2. pag. 561. edit. Paris. 1701. quia a Paullo Diacono conscripta fuisse viden-

videntur, quicquid Surius ſcripſerit in eorum initio, nihil in præſens affirmare contendo, quod præſtabo in opere, quod de Antiquitate Ticinenſis Urbis jam meditor. Interim verò ommittendum mihi non eſt Urbem hanc fuiſſe vetus municipium Romanorum, quod ſe vidiſſe in antiqua inſcriptione teſtatur Philippus Cluverius Italiæ Antiquæ lib. 1. cap. 27., & Coloniam, ut apparet ex inſcriptione, quæ legitur apud Gruterum pag. DLII. num. 5.

Lapis in Carinthia repertus

MARIUS. RUFFUS. C
TICINIÆ. MILES. CO
HORTIS. MONTANOR
M. PRIMÆ. STIPEN
DIORUM. XV
H. S. EST

CAP.

CAP. III.

Vrbs Ticinensis perpetua Sedes Regum Langobardorum. Ibi Thermas, Amphiteatrum, & magnificum Palatium extruxit Theodericus, quod deinde dictum Regia Ticina, & Civitatula. *Palmaris error Patris Eustachii de S. Vbaldo apertè refellitur; ac contra ipsum, & alios Nobilitas Vrbis Ticinensis supra alias Liguriæ Vrbes effertur.*

IN Urbe Ticinensi, quæ caput erat antiquæ Neustriæ, ut notavit V. C. Justus Fontaninus Vir omni præditus eruditione in sua Dissertat. Italica *delle Masnade*, Reges Italiæ sedem habuerunt; & in ea viginti duo Reges Langobardorum regnaverunt. Ibi Gotthos Reges, tanquam in munitissima totius regni parte, thesauros servasse animadvertit Spiegelius in Notis ad Guntheri Ligurinum lib. 3.; Quamobrem Urbis Regiæ titulo iure, & merito semper insignita fuit. Thermis, & amphiteatro hanc Urbem or-

ornasse Theodericum, testatur Anonymus de Theoderico, editus ab Henrico Valesio ad calcem Ammiani Marcellini edit. Paris. 1681. pag. 668. quod amphiteatrum postea perfectum fuisse credo ab Athalarico Theoderici nepote, & successore, ut ex inscriptione, quam refert Mediobarbus in Occone pag. 568.

✠ D. N. ATHALARICUS REX ✠
GLORIOSISSIMUS. HAS
SEDES SPECTACULI ANNO
REGNI SUI TERTIO FIERI
FELICITER PRECEPIT ✠

quem lapidem addit Mediobarbus, positum fuisse Athalarici anno tertio sive V.C. 1281. Chr. 528. Consulatum gerente Justiniano Aug. II. sine Collega. Hicque lapis erutus fuit prope D. Laurentii Papiæ; ubi etiam nunc spectantur quædam Circi, seu amphiteatri ruinæ. Prius tamen, quam hæc omnia conficerentur, Theodericus illud celebre Palatium construi jussit ex laudato Anonymo, inde dictum *REGIA TICINA*: Quod cum hucusque fuerit obscurum, rem utilem me Reipublicæ literariæ facturum existimo, si hoc elucidavero, quod summopere in notis ad Synodum inscriptam *Regia Ticina* habitam anno 850. desideravit Henricus Canisius,

qui primus eam edidit tom. 5. Antiquarum Lectionum part. 2. pag. 673. quam etiam legimus tom. 8. Conciliorum Labbei pag. 62. quo loci Canisius post propositas difficultates de loco Civitatis *Regia Ticina*: de conciliatione anni Christi 850. indict. XIV. & Hlotharii, & Hlodovici XXI. & de æra Conventus Ticinensis anni Christi 854. indict. IV. Hlodovici anni sexti, hæc habet. *Hac monere volui lector, ut videas, quam bona fide in dandis his verser, &, ut habeas in quo laudem merearis, si hac colligas ex aliquo MS. Codice, nam, ut mihi conjecturas in his indulgeam non statui.*

Hanc Canisii dubitationem tollere conatus est Marcus Velserus, ut ex epistola ejusdem in notis ad eamdem Synodum apud Labbeum; sed non omnino id effecit Velserus, cum non ostendat factam Synodum fuisse in *Aula Regia* prope Urbem Ticinensem, in qua coactum fuit Concilium anno 850. alterum anno 854., & tertium anno 876., quemadmodum probant clarissima monumenta apud Stephanum Baluzium in Capitularibus Regum Francorum tom. 2. ubi *pag.* 347. *sic legitur*

TITULUS II.
SIVE
CAPITULA EDITA ANNO DCCCLIV. IN PALATIO TICINENSI

In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi anno DCCCLIV. anni imperii Domini Hlodovici Imperatoris Augusti VI. indictione IV. dum Conventum fidelium nostrorum palatio nostro Ticinæ Civitatis convocaretur &c. pag. 351. hæc adsunt.

RESCRIPTUM CONSULTATIONIS SEU COHORTATIONIS EPISCOPORUM AD DOMNUM HLODOVICUM IMPERATOREM

Domino gloriosissimo Regi Hlodovico pax, & vita, & victoria ministretur a Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo. Nos quidem in Dei nomine Angilbertus Archiepiscopus. & Andreas Patriarcha, una cum Ioseph Archicapellano, cum ad hanc synodum in Urbe Regia Ticino *congregatam* &c. postquam Consultationem Episcoporum *pag. 355. sequuntur.*

CAPITULA VII.

Edita post responsionem Episcoporum. *In nomine Dei Omnipotentis anno incarnationis Dominicæ DCCCLV. indictione III. mense Februario, die mensis ejusdem quarto, cum Dominus Magnificentissimus Hlodovicus Augustus apud Ticinensem Civitatem* in Augustali Aula *resideret, tractaturus &c.*

IN CONCILIO PONTIGONENSI

apud eumdem Baluzium eodem tom. 2. *pag.* 238. *hæc habentur.*

TITULUS XLVIII.
SYNODI PONTIGONENSIS.

Synodus, quæ fuit acta apud Ticinum Palatium *anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVI. indictione IX. mense Februario, & postea fuit confirmata ipsa Synodus apud Pontigonem cum Missis Domni Apostolici Ioannis, aliisque multarum Provinciarum Episcopis.* Et in fine actus confirmatæ electionis Imperatoris Karoli additur *eadem pag.* 238. *col.* 2.

Acta

Acta sunt hæc in Palatio Ticinensi *anno Domni DCCCLXXVI. Regni Domni Imperatoris Karoli Hlodovici Augusti piæ memoriæ filii in Francia XXXVI. Imperii primo indictione IX.*

Ex his constat, *Regiam Ticinam* fuisse Regium Palatium sejunctum ab Urbe Ticinensi: quod primus observavit Joannes Mabillonius in Itinere Italico tom. 1. pag. 219. ex subscriptione diplomatis Berengarii Imperatoris Theodelasio Abbati Bobiensi data. *XIX. Kal. Novemb. ann. Inc. DCCCCIII. Regni sui XVI. actum* PAPIA CIVITATE PALATIO TICINENSI. Cui diplomati alia possunt adiungi ex Bullario Cassinensi Cornelii Margarini tom. 1. pag. 7.: ubi extat diploma Desiderii, in cujus fine legitur: *Data Ticino in Palatio anno 762.*, & pag. 9. aliud diploma anni 765. habet *actum Ticino in Palatio.* pag. 10. in diplomate Aldelgisi filii ejusdem Desiderii *anno 766. actum Ticino in Palatio*; & in alio ejusdem Aldegisi pag. 15. anni 774. *Data Ticini in Palatio.* Quod etiam XI. sæculo servatum fuisse, apparet ex diplomate Henrici I. Imperatoris Abbati Brumiensi apud Ferdinandum Ughellum in Italia Sacra tom. 4. col. 1370. ubi: *Actum Papia in Palatio Ticinense anno* 1014., & col. 1495. in


alio diplomate Arduini Regis Italiæ anno 1003. *Actum Papiæ in Ticinensi Palatio.* Et quidem verè, poterat appellari *Regia Ticina* illa *Aula*, quæ prius *Civitatula* nempe sermone italico *Cittadella* a Beato Laurentio Episcopo Mediolanensi fuerat nuncupata, cujus verba refert Ennodius Episcopus Papiensis in Vita Beati Epiphanii edita cum aliis Ennodii operibus a Sirmondo tom. 1. col. 1676. Qui Beatus Laurentius perorans apud Theodericum commemorat Divinæ Misericordiæ beneficium, quo ab obsidentibus inimicis, quibus in Ticinensi *Civitatula* arctè cingebatur, liberatus fuit. Quem locum a se non rectè immutatum attulit Carolus Sigonius de Imperio Occidentis lib. 16. sub anno 495. & hoc Regium Palatium credere fas est, fuisse illud, quod erexerat Theodericus, ut dictum est supra, quum a Theoderico ad Desiderium, in cujus diplomatis mentio primum est hujus Regii Palatii ab Urbe distincti, non legatur alium Regem tam excelsa Palatia Ticini ædificasse: in his autem ingens fuit cura Theoderici, sicuti eum laudat de hoc Ennodius in Panegyrico. *Video, inquit, inspiratum decorem Urbium cineribus evenisse, & sub Civilitatis plenitudine*

dine palatina ubique tecta rutilare. Video *ante perfecta ædificia, quam me contigisset disposita*. Sicque postea exornatum fuit illud insigne Palatium, ut altera Urbs esset in Urbe; de quo insigne est testimonium diploma Sigualdi Patriarchæ Aquileiensis apud iam laudatum Margarinum tom. 1. Bullarii Cassinensis pag. 16. *Datum Ticino in Vrbe Regia*, quod etiam visus est agnovisse Sigonius lib. 6. de Regno Italiæ sub anno 961. dum ait, *Othonem Papiæ Regiam a Berengario destructam restaurasse*. Horum omnium ignarus Pater Eustachius a S. Ubaldo nomen *Civitatula* Ticinensis, quod ad Urbis Papiensis gloriam referendum esse omnes norunt, perperam ad illius dedecus transferre conatus est, inde arguere studens Ticinum fuisse Urbem non decoram, sed infimam, & angustam proptereaque indignam, quæ nulli Metropolitæ subiiceretur. Quod quam leve argumentum sit, constat ex Itinerario Antonini, in quo litera C. Ticino addita inspicitur; quæ, ut ex Philippo Cluverio Italiæ Antiquæ lib. 1. Cap. 27. adnotavimus cap. præcedenti, erat Nota magnarum Urbium; Immo supra alias Liguriæ Urbes eminuisse sæculo V., quo tempore

Mediolanensi Urbi paruisse, probare nititur idem Pater Eustachius, probat Paullus Diaconus ad Eutropium Additus lib. 16. ex quo Orestem Patritium, qui Liguriæ præerat, dum Odoacer Italiam invasit, cæteris Urbibus præteritis, intra Ticinum se se conclusisse, apparet. Neque Patris Eustachii sententiæ suffragari possunt illa Ennodii verba in Vita Epiphanii. *Aliquos tamen magnarum Vrbium incolas edax consumebat invidia, quod tantum Oppidi Ticinensis angustia habere meruisset Antistitem*; hæc enim dicta fuerunt ab Ennodio, quum Urbs ab Odoacre funditus eversa rursus extruebatur, & ideo priusquam esset ad pristinam gloriam, & magnitudinem restituta, videbatur angusta. Adveniente tamen Theoderico, jam eò creverat, ut iste ab Odoacre perterritus, Mediolano digressus, potius apud Ticinensem Urbem confugeret: qua de re testis est idem Paullus Diaconus ad Eutropii Historiam Additus lib. 16. *Theodericus itaque*, inquit, *a Verona digrediens Mediolanum pervenit, ubi dum consisteret, magna ad eum multitudo militum, pluresque Italiæ populi convenere. Sed paucis interjectis diebus, rursus deditus totus exercitus, Tuffa quodam*

no-

nomine instigante, Odoacris se partibus dedidit. Ea res Theodericum in tantum perterruit, ut se, suumque exercitum apud Ticinensem Urbem muniret. Itaque angustam fuisse, verisimile non est, quæ capere debebat exercitum Theoderici, qui præterea eam amplificavit Palatio, & arce constructis, ut scribit Stephanus Breventanus de Antiquitate Papiæ lib. 2. cap. 9, ex qua postea exivit contra Odoacrem, quo subacto, tantus fuit splendor Ticinensis Urbis, ut fælix fuerit appellata; quemadmodum apparet ex epigraphe numismatis relati a supra laudato Comite Mediobarbo in Occone pag. 568. quod mihi indicavit V.C. Joannes Franciscus Sinibaldus Auximas, & mihi communicavit Pater Johannes Antonius ejusdem Comitis filius eruditissimus, & mihi amicissimus Vir.



quem

quem nummum ad Totilam ſpectare, alio nomine Baduillam apertum eſt ex Paullo Diacono ad Eutropium Addito lib. 17. *Dehinc*, ait, *ſibi Badiulam, qui, & Totila dicebatur in regnum præficiunt*. Verum in Hiſtoria Miſcella Editionis Baſil. 1569. lib. 16. legitur *Baduvillam*.

CAP.

CAP. IV.

Scholæ Papienses sub Boethio floruerunt. Bernardi Sacci, Vincentii Bellovacensis, & Gerardi Vossii de primo anno Episcopatus Ennodii opinio rejicitur. Ennodius Papiæ Magistrum gessit; ejusdem locus illustratus contra Sirmondum. Studium Epiphanii Ticinensis Episcopi pro restaurandis moribus, & scientiis.

INter cæteras hujus Urbis laudes situ, & ubertate ita fœlicis, ut horreum Romanorum, & hortus Liguriæ aliquando nuncuparetur, maxima illa fuit, quod in ea liberales artes semper floruerint; quamvis solum sub Karolo Magno, ibi publicas Scholas fuisse institutas vulgò credatur. Horum studiorum initia reperire difficile est, cum tantum sæculi V. eorum nobis memoria superfit. Testatur hoc Boethii liber de Scholastica Disciplina, quem Parisiis conscriptum putat Lupoldus Bebembergius in Opusculo de

de Zelo Veterum Germanorum cap. II. in Biblioth. SS. P.P. tom. 26. pag. 92. atque inde arguit Lupoldus Parisiis illo tempore studia literarum viguisse; sed rectiùs aliqui dubitant, an unquam Parisiis Boethius publicè docuerit, cum ipse libellus de Scholarium disciplina Ticini scriptus fuerit, ut ostendunt illa verba Procemii. *Et licet duplici genere commentorum sim impeditus, non tamen omnino diversorum in quasdam Aristotelis, nec non aliorum Philosophorum editiones proprioque attenuatus studio, & inhumani Regis Gottorum cruciatu corrosus.* Quibus cruciatibus solùm Papiæ vexatum fuisse Boethium, legimus, ubi traditam a se scientiarum doctrinam aliæ ejus lucubrationes testantur. Postquam enim Consulatum gessit, Papiam relegatus fuit, & ibi plures libros scribere instituit, quos in carcerem detrusus perficere non potuit. De his meminit Petrus Bertius in Præfatione ad Consolationem Philosophiæ, ubi de imperfectis operibus Boethii post alia hæc addit. *Quænam? illa scilicet quæ ex Christianæ Religionis Misteriis peti possunt; quum Boethius sermonem iniicit de casu, de libero arbitrio, & concordia præscientiæ Divinæ, cum libertate arbitrii, quæ tractatio usque ad finem libri se* ex-

extendit : ſequitur igitur, nondum id, quod Docere *inſtituerat, eſſe abſolutum, ſed deſiderari partem illam, quæ viam ad Cælum monſtrat, quæ ex ſola Chriſti doctrina peti debet.* Boethio ſocium fuiſſe Ennodium in publicis Scholis, teſtantur pariter, ejuſdem opera: hi enim fuerunt coævi. Boethius ſiquidem anno 526. fuit à Theoderico morte damnatus, & humatus eſt in S. Petri in Cælo aureo, ubi adhuc viſitur ejus arca cum hoc epitaphio

Meonia, & latia lingua clariſſimus, & qui
Conſul eram: hic perii miſſus in exilium.
Ecquid mors rapuit: probitas me vexit ad auras,
Et nunc fama viget maxima, vivit opus.

& Ennodius amico præmortuus eſt, quod anno 521. eveniſſe, ſcribit Guillelmus Cave in Hiſtor. Scriptor. Eccleſiaſtic. tom. I. ſæculi Eutichiani anno 511. Unde Bernardus Saccus Hiſtoriæ Ticinenſis lib. VIII. Cap. I. malè putat, eum obiiſſe anno 516. cum fuerit conditus Valerio V.C. Conſule, ut apparet ex illius Epitaphio, quod Ticini S. Michaelis parieti, qui ſacrario cohæret, in tabula marmorea ſculptum eſt, aliquot locis nobis reſtituendum.

Epi-

Epitaphium Ennodii

Ennodius Vates lucis redditurus in ortum,
Hoc posuit tumulo corporis exuvias
Clarus prole quidem, generosior ipse propinquis
Quos functos laudem jussit habere diem.
Redidit hoc Cælo vivacibus ille figuris,
Cum fecit fame vivere conloquiis.
Quid mirum si forte caret post busta superstes,
Qui consanguineos restituit superis?
Quantis iste foret Mundi celebratus in oris,
Nec silet Occidui cardinis Oceanus.
Schismata conjunxit dudum discordia legi;
Atque fidem Petri redidit Ecclesiis.
Pollens eloquio Doctrina nobilis arte
Restituit Christo innumeros populos.
Largus, vel sapiens dispensatorque benignus
Divitias credens, quas dedit esse suas.
Templa Deo faciens himnis decoravit, & auro,
Et paries functi dogmata nunc loquitur.

Depositus sub D. XVI. Kal. Aug. Valerio V. C. Consule: quod immutavit Ferdinandus Ughellus Italiæ Sacræ tom. 1. part. 2. in Vita B. Ennodii loco Valer. ponens Stas. ut etiam literam D. quæ diem indicat, omisit Pater Romualdus in sua Papia Sacra part. 1. pag. 29.

Anno

Anno CDXC. Ennodium in *Episcopali* Cathedra sedisse prodidit Bernardus Saccus Histor. Ticinensis eodem cap. 1. atque etiam Bellovacensis, & Gerardus Vossius, atque Stephanus Breventanus de Antiquitate Papiæ lib. 2. in Vita Ennodii, quos errasse rectè observavit Sirmondus in notis ad dictionem V. ejusdem Ennodii, quia hoc tempore ipse Ennodius annum XVI. excedere non poterat, ut ait ille. *Qui enim potuit illo anno Episcopus creari, qui anno proxime antecedente quo Italiam ingressus est Theodericus sexdecim tantum erat annorum? aut quomodo imponi, tunc potuit Cathedræ Ticinensi, quam adhuc regebat, & aliquot post annis rexit Epiphanius, ac post Epiphanium Maximus, quem Synodo palmari interfuisse monuimus?* Hoc etiam confirmat Sigonius de Imperio Occidentis lib. 16. anno 501. quo adhuc Maximum Papiæ Episcopum fuisse prodit. Antequam *Episcopatu* exornaretur Ennodius, pluribus annis Diaconatu fulsit sub Epiphanio a quo unicè diligebatur; Hoc tempore, quantum excoleret artes liberales, pluribus suis Dictionibus testatus est; & in aliquibus earum de Scholis, publicoque *Auditorio* frequentissima mentio; & præsertim in VII.

acta

acta in Dedicatione *Auditorii*, quando ad forum translatio facta est, cujus hic partem afferam. *Ad Vos revertor, quibus paterna conventus affectione vocem debeo commonentis. Reddite Vos studendo origini, reddite natalibus lectione. Naturæ lucem jubar dictionis ostendat. Multiplicate suffectu scientiæ parentum titulos: ornate eruditione majorum decora: Fulvi nobilitatem metalli nisi ad unguem manus ducat Artificis, maternis pene hebetatur tenebris: & si magistra politione non venustetur, nihil ei prodest sublimitas, quam vena concesserit. Adiuvatur quidem Doctoris instantia dotibus sanguinis mundioris; sed nisi limata non rutilant illa, quæ se erigunt prærogativa nascendi &c. Habetis prævium eloquentiæ, morumque Doctorem. Currite prosapiæ stimulis incitati, & cum Vos ad agonem præmia promissa perduxerint, mei meminisse dignamini, quia sunt, quæ a Vobis post cælestem retributionem suffragia hortator accipiet.* Hanc in publico *Auditorio* recitatam ab Ennodio, compertum est; sed de Auditorio Romano hic loqui putat Sirmondus in notis. At ego hac *Dictione* perpensa Sirmondo non subscribo, nec subscribendum puto ab Eruditis Viris, quibus usqueadhuc igno-

ignotum credo Ennodium Romæ publicum præceptorem egisse, quemadmodum ex laudato loco, & sequentibus ipse profitetur. *Hæc sunt, quæ Vos nostris licuit vocibus admoneri. Vos diligentiam pectoris mei expendite consideratione verborum. Non phaleratus sermo, non illecebrosa tantum, & depicta fucis narratio delectet. Quærite apud me, non blanda, sed necessaria, non delitiosa, sed fortia. Nunquid juvat pompam texere Præcepta daturum?* & paullo post. *Deus tamen voti se comitem jungat; & quod novellis* Præceptor *commendo cespitibus, in pomis tanquam de hæreditaria possessione decerpam*. Fortè in hac divinavit Sirmondus ex illis verbis. *Vincta hic ora teneat mens captiva. Non agnoscit forum Romani Populi, non liberalis eruditionis gymnasium, qui adhuc quasi in secessibus conticescit*. Sed forum Romani Populi ex iis, quæ dicebantur, ductum hic ab Ennodio, satis constat; nam ex his verbis, *qui quasi in secessibus conticescit*, apparet eum hic loqui de populo paullo ante ob incendium Urbis sub Odoacre exule a Patria, vel adhuc trepidante ad illas, & alias ærumnas per latas sub Theoderico, quæ omnia Romæ nequeunt convenire; in qua nunquam, ut dictum est, legitur

Ennodium præceptoris munere functum esse. Eum autem Papiæ jam consecratum Diaconum morari oportebat; hocque eodem tempore erat Epiphanio Episcopo perpetuus comes; qui eadem cura, qua ad componendum Regnum incumbebat Theodericus, ut legitur apud Sigonium de Imperio Occidentis lib. 16. sub annis 494., & 495. Ticinensem Urbem ad pristinum decus restituere properabat, præstantissimo quoque Viro e dirutis Liguriæ oppidis, ut ait Sigonius, eò accito, etsi alii plures Viri doctissimi jam adessent in Urbe, ut in Vita Epiphanii scripsit idem Ennodius. *Fuit*, inquit, *Silvester Archidiaconus ea tempestate homo in vetusta disciplinarum instructione probatissimus. Fuit Vir insignissimus Bonosus presbiter, tam Nobilis sanctitate, quam sanguine. Fuere alii, & numero plures, & virtute præstantes: quorum idcircò facio mentionem, quia parva laude dignus, qui tantum miseris antefertur*. Hisque alios plures adjunxit Epiphanius, quos selegit ex finitimis Urbibus, ut nostræ memoriæ tradidit ipse laudatus Ennodius eodem loco. *Parum tamen credebat posse sufficere, si post ruinam omnium Liguriæ Civitatum Ticinus suis contenta indigenis exultaret; cœpit vicinarum Urbium finitimos*

timos quosque de civibus flosculos legere, atque ad suos hortos cultor diligens plantaria, jam probata portare de quibus frugi, & idoneus aptissima caperet poma possessor.

Ex hac diligentissima cura Epiphanii pro literarum, & morum instauratione in Urbe mox restituta satis apparere credo ibi literas maximè floruisse, & Ennodium in ea scientias cum cæteris docuisse, sicuti *dictione VI.* Carminum lib. 1. post ejus reditum a Synodo Palmari cum Maximo, iterum Ticinensibus se Magistrum profitetur, atque in ipsa nimiam venustatem eloquii in docendo excusat his verbis. *Dicam ergo libens musico stylo gaudia mea, quorum perfectionem maximis promitto me Deo adjuvante eloquii literis nunciaturum: Pulsabunt me oblatrantium venena linguarum; sed professionis, & ingenii exercitiis aggregabo quicquid contra accusati meritum maledictor ingesserit, &c. Hinc ad clariora digredientibus* DIVINORUM PATESCUNT SECRETA LIBRORUM *quorum januam sensu pulsante dum reserat populus se Duce pervium facit iter ignoratum: dum fastidiosos eloquii splendore, parum doctos fabricata latinitate, & ut ajunt artifici rusticitate perducit. Quis talem salutis non diligat judi-*

cem non sequatur, qui necessariis dulcia dulcibus severa miscendo amara vitæ dogmata, & velle cogit invitos? sed istinc cœpti compleantur honesta propositi. Apud scientes rerum loquimur. Res virtutis est gaudium continere: Secundæ diligentiæ per elaboratum tramitem luculentæ dictionis ostendere. Hodie maximè cum mei portio limen ingressa facundiæ dat parenti exultatione eloquentiam, quam negat ingenium, cum dicat causa, quod natura non præstitit. Macte insignium adolescens virtutum, qui in cano flore pomorum numerum monstras. Das pellere afflictionis glaciem, & ad vernum me dictionis invitas. Nam dum quod tu debes STUDIIS *ego impendo* lætitiæ *puto ambo proficimus. Simile est enim rudem instituere, & ad declamationis affectum revocare jam desidem*. Ex his cæteras quoque Dictiones VIII. nempe IX. & X. non alibi quàm Ticini actas censendum est. Neque Scholas, quæ illa ætate florebant Ticini solum *Episcopales* fuisse quis credat; nam quamvis teste D. Paullo Ephes. 4. ab incunabulis Ecclesiæ Scholæ istæ viderentur in usu, in quibus Episcopi ipsi Grammaticam sæpe docebant, ut de vetusta hujusmodi Ecclesiæ Alexandrinæ disciplina docuit Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ

cap.

cap. 10. tamen majores & *universales* fuisse Scholas Ticinenses Ennodii tempestate probant scientiæ, quas in his tractatas fuisse eruitur ex allatis Ennodii dictionibus, in quibus non solum de Philosophia, & Grammatica, sed de Divina pagina, & de Iure Civili agi videtur. Et forsan has Scholas cum regis privilegio institutas a Theoderico conjici posset, cum non minus erga Ticinensem Urbem fuerit ille liberalis quam erga Ravennatensem, ubi Gymnasium Theoderici tempore, Boethio, & Cassiodoro suadentibus, institutum fuisse refert Rubeus Historiæ Ravennat. lib. 3. pag. 161.

CAP. V.

Petrus Pisanus in Urbe Papiensi Magister Parisios accitur a Karolo Magno; Ante hujus adventum in Italiam florebant Papiæ liberales artes. In ea celebris disputatio Petri Pisani cum Julio Judæo. Joannes Albinus Scotus Papiam mittitur a Karolo Magno ut subliniores scientias traderet, hocque pluribus antiquis Scriptoribus comprobatur.

ENnodio, & Boethio vita functis regnante Theoderico, num floruerint Ticini publicæ Scholæ nobis ignotum. Ipsas defecisse non levem præstat aliquibus coniecturam irruptio frequens Gotthorum, & Langobardorum, a quibus miserrimè devastata Italia omnes ferè humani mores fuerunt deleti grassante barbarie: sed adhuc sævientibus bellis ipsas non corruisse nobis suadere videtur Paullus Diaconus, qui in Hi-

storia

ſtoria Langobard. lib. 6. cap. 4. ſcribit ſub Cunibertho, qui regnavit prope finem ſeptimi ſæculi, floruiſſe in arte grammatica Felicem patruum Fabiani, qui fuit ejuſdem Paulli Magiſter; & octavi ſæculi nobis teſtis eſt Alcuinus, qui epiſtola 15. edit. Quercetani, ſeù Ducheſnii pag. 1511. hæc ſcribit ad Karolum Magnum. *Dum ego Adoleſcens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia regali Civitate demorarer, quidam Judæus Julius nomine cum* Petro Magiſtro *habuit diſputationem, & ſcriptam eſſe eamdem controverſiam audivi in eadem Civitate. Idem Petrus fuit, qui in Palatio Veſtro Grammaticam docens claruit*. Ex quo forſan loco Alcuini Franciſcus de Mezeray Hiſtoriæ Galliæ tom. 1. pag. 400. editionis 1685. adnotavit, Karolum Magnum anno DCCLXXIV. miſiſſe Papiam Joannem alterum ex Monachis, qui e Scotia Pariſios acceſſerant, ut ſtabiliret in ea ſcholas ſcientiarum ſublimium, quia, ut is gallicè inquit. *Les arts liberaux y floriſſoient deia, & il en avoit fait venir Pierre Piſon, qui lui avoit enſeignè la grammaire*. Quod eveniſſe circa annum 769. docet Karolus Egaſſius Bulæus Hiſtor. Univerſit. Paris. tom. 1. pag. 92. quo tempore Karolus Magnus, li-

terarum prorſus ignarus, regnare cœpit cum Karolo Manno fratre ſuo. Quare probari nequit Quercetani ſententia dicentis in indice operum ipſius Alcuini, hunc fuiſſe Papiæ adhuc adoleſcentem, quum ibi Curia Karoli Magni Francorum Regis adhuc eſſet; Nam ſolum anno 774. Karolus Deſiderium ſubegit, & jam ante acciverat Petrum Piſanum in Galliam, ut ipſum inſtrueret. Quo tempore ad Regem fuerunt a Pontifice miſſi aliqui libri, ut ex Epiſtola, quæ extat apud Duchesnium tom. 3. Hiſtoriæ Francorum pag. 743. *Direximus etiam Excellentiſſimæ Præcellentiæ Veſtræ, & libros quantum reperire potuimus, ideſt Antiphonale, Reſponſale, inſimul Artem grammaticam Ariſtotelis, Dioniſii Areopagitæ libros, Geometricam, Ortographicam, Grammaticam, omnes græco eloquio Scriptores, nec non & horologium nocturnum*. Nec propterea, quod ſolum ad Regem docendum grammaticam fuerit Petrus Piſanus Papia accitus in Galliam, putandum eſt ſolum has humiliores artes tunc floruiſſe in Papienſibus Scholis. etenim ex diſputatione, quam Petrus habuit cum Julio Judæo conſtat hic fuiſſe locum diſputandi de altioribus ſcientiis. Multo autem tempore docuiſſe Petrum Piſa-

Pisanum Papiæ satis probatur ex eo, quod jam senex fuit vocatus in Galliam, ut ex Historia Eginardi constat apud Duchesnium tom. 2. pag. 102. *In discenda*, inquit Eginardus, *Grammatica Karolus Petrum Pisanum Diaconum senem audivit, in cæteris disciplinis Albinum cognomento Alcuinum item Diaconum de Britannia Saxonici generis hominem, Virum undequaque doctissimum Præceptorem habuit: apud quem Rhetoricæ, & dialecticæ, præcipuè tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum, & temporis, & laboris impertivit.* Hisce imbutus doctrinis Karolus Magnus ab Adriano primo, cujus virtutes sibi proposuerat imitandas, rogatus in Italiam cum exercitu venit, & subacto Desiderio, totaque Italia devicta, postquam rediit Parisios, maximo literarum amore exarsit. Quumque duo Parisiis advenissent cum mercatoribus Monachi e Britannia sapientiam venalem se habere jactantes, Karolus vnum ex iis Parisiis retinuit, alterum Papiam transmisit, ut, ibi sublimes scientias profiteretur; Cujus rei cum pauci nobis antiqui supersint testes, operæ pretium duxi monumenta eorum, qui hoc nobis tradiderunt, colligere, & lectoribus evulgare..

Agmen ducit Notkerus Balbulus Sangallensis

lensis Monachus, ut scribit Goldastus, cujus Historiam Sangallensem, e veteribus Bibliothecis Germanicis erutam, in lucem emisit Henricus Canisius anno 1601. ipsamque tom. 2. Histor. Scriptor. Francor. retulit laudatus Duchesnius pag. 107. Notkerus igitur ad Karolum Crassum Imperatorem Ludovici Regis Germaniæ filium, Nepotem Ludovici Pii, Pronepotem Karoli Magni, de isto hæc scribit cap. 1.

Omnipotens Regum dispositor, Ordinatorque Regnorum, & temporum, cum illius admirandæ statuæ pedes ferreos, vel testaceos comminuisset in Romanis; alterius non minus admirabilis statuæ caput aureum per illustrem Karolum erexit in Francis. Qui cum in Occidui Mundi partibus solus regnare cæpisset, & studia literarum propemodum essent in oblivione, contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, Viros, & in sæcularibus, & in sacris Scripturis incomparabiliter eruditos. Qui quotidie cum nihil ostenderent venale ad convenientes emendi gratia turbis clamare solebant. Si quis sapientiæ cupidus est veniat ad nos, & accipiat eam, nam venalis est, apud nos. *Quam tamen idcircò se venalem habere professi sunt, quia po-*

pulum

pulum non gratuita, sed venalia mercari viderunt; ut sic vel sapientia sicut cæteris rebus coemendis eos incitarent, vel sicut sequentia probant per tale præconium in admirationem verterent, & stuporem. Denique tandiu conclamata sunt ista, donec ab admirantibus, vel insanos illos putantibus ad Karoli Regis semper amatoris, & cupidissimi sapientiæ perlata fuissent. Qui sub omni celeritate ad suam eos præsentiam evocatos interrogavit, si verè ut ipsa fama comperit sapientiam secum haberent. Qui dixerunt, & habemus eam, & in nomine Domini dignè quærentibus dare parati sumus. Qui cum inquisisset ab illis, quid pro ipsa peterent, responderunt: loca tantum opportuna, & animas ingeniosas, & sine quibus ista peregrinatio transigi non potest alimenta, & quibus tegamur. Quo ille percepto ingenti gaudio repletus. primum quidem apud se utrumque parvo tempore tenuit; postea verò, cum ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine Clementem in Gallia residere præcepit, cui & pueros nobilissimos, mediocres, & infimos satis multos comendavit, & eis prout necessarium habuerunt victualia ministrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis. Alterum verò in Italiam direxit, cui & Mo-

naste-

nasterium Sancti Augustini, juxta Ticinensem Urbem *delegavit, vt, qui illuc adeum voluissent ad discendum congregari, potuissent*. Hæc etiam tradidit Vincentius Bellovacensis præceptor Ludovici IX. qui in suo Speculo Historiali, quod perduxit ad annum 1244. & obiit anno 1256. ex authoritate Helinandi, & Chronici Arelatensis, concludit. *Karolum Magnum residere fecisse Clementem in Gallia. Alterum verò in Jtaliam direxisse, cui, & Monasterium S. Augustini juxta Ticinensem Urbem delegavit, ut illinc, si voluissent, ad discendum congregari possent*. Huic accessit Lupoldus Bebembergius, qui claruit sub Lodovico IV. Imperatore, & Benedicto XII. Pontifice Maximo anno Dom. 1340. circiter. Hic in suo Opusculo de Zelo Veterum Germanorum ad Rudolphum Saxoniæ Ducem cap. 2. in Biblioth. Patrum tom. 26. hæc habet. *Sciendum est quod quadam Chronica referunt; quod duo Monachi Scoti de Hybernia in Scripturis Sacris, & in sæcularibus eruditi de Britannia ad littus Galliæ pervenerunt, qui quotidie ad populos emendi gratia convenientes clamabant dicentes: Si quis scientiæ cupidus est veniat ad nos, & accipiat eam, nam venalis est apud nos. Tandiu conclamata sunt*

ista,

ista, donec ab hujusmodi sermonem admirantibus ad Karoli Magni gloriosissimi Regis audientiam sunt prolata. Qui celeriter illos ad suam præsentiam evocatos, quid pro scientia peterent requisivit. Qui prò ipsa, loca tantum opportuna, & fælicia ingenia, ac pro victu, & vestitu necessaria se petere responderunt. Quo audito ille ingenti repletus gaudio unum eorum in Italiam, cui Monasterium S. Augustini apud Papiam *commisit, ad docendum direxit. Alterum verò Clementem nomine, cui ad docendum multos pueros comendavit, fecit in Gallia Parisiis residere, eidem, & pueris victualium necessaria ministrando.* Sæculo XIV. eadem quoque adnotavit Cardinalis Franciscus Zabarella in Clementina prima de Magistris: & Anno 1450. D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus ejusdem Chronicæ Arelatensis meminit in 2. parte Historiæ tit. 14. cap. 4. §. 12. Ita etiam Henricus Pantaleo de Viris Illustribus totius Germaniæ part. 2. in Karolo Magno primo Imperatore German. hæc scribit. *Karolus Magnus Alcuini consilio usus duo celeberrima Gymnasia literarum instituit, alterum in Occidentali Francia Parisiis, alterum* Papiæ *in Italia, qua liberaliter dotavit, atque Viris do-*

ctis-

ctissimis ornavit. Hos sequitur Jacobus Middendorpius Academiarum Celebrium lib. 4. pag. 45. ubi de Papiensi, & pag. 359. lib. 6. agit de Parisiensis Academia; & pariter pluribus antiquis Authoribus Papiense Gymnasium a Karolo Magno erectum statuit. Quod etiam confirmat Guidus Panzirolus de Claris Legum Interpret. lib. 4. cap. 1. ubi eam Ticinensem Academiam a Karolo Magno fuisse conditam, ipse quoque tradit; quod postea non rectè immutat cap. 5. agens de Parisiensi Academia, dicens Karolum Magnum, non eò misisse Monachum illum, sed ipsum secum duxisse, quando venit in Italiam. Plures alios testes afferre possem, sed cum sint posterioris ævi, missos facio.

CAP.

CAP. VI.

Monachum Papiam, missum a Karolo Magno, nomine Joannem Albinum fuisse confirmatur. Monachus Sangallensis, ac plures alii Historici veteres illustrantur.

DE nomine, quo appellabatur Monachus ille, qui missus fuit Papiam a Karolo Magno, inter se dissident Authores. Veteres enim, contenti narrasse historiam adventus Monachorum ex Hybernia in Galliam, illud prætericrunt. Hinc licet Sangallensis, aliique Albinum vocent, aliqui tamen eum appellant Joannem. Robertus Gaguinus Franciæ Historiographus, qui ab anno 1470. ad 1501. floruit, in Vita Karoli Magni post illorum Monachorum Historiam, hæc habet. *Intellexit Imperator ingenuam hominum mentem, eosque cum aliquot dies apud se retinuisset, Claudium, cui nomen erat Clemens, Parisiis conversari, & generosos adolescentes bonis disciplinis instituere jubet. Joannem verò* Papiam *misit*. Verum Joannes

nes Aventinus lib.4 Annalium Bojorum, quem circa annum M. D. vixisse apparet, sic ait de Karolo Magno. *Liberalia literarum studia, pene jam, ut ipse ait in curia maiorum obliterata instaurare summopere connisus est; &, ut sui exemplo ad ea amplectenda cateros invitaret, ex Hybernia duos Scotos Clementem, & Albinum accivit, ut tum erant tempore eruditissimos. Item ex Anglia alterum Albinum evocavit. Albinum Scotum* Ticinum *misit, ibique ludum literarium aperire jussit.* Tamen Polydorus Virgilius lib. 4 Historiæ Anglicanæ in fine de Achaio Scotiæ Rege loquens. *Ille item*, inquit, *ad Karolum Magnum, qui novas conditurus Academias ad se, ab extremis usque Orbis partibus eruditos Viros, advocabat Clementem*, & Joannem *homines doctissimos misit, per quos Karolus postea, & Lutetiæ, &* Ticini *bonas artes cunctos mortales docendos curavit.* Franciscus de Mezeray diligens Galliarum rerum Historicus tom. 1. Historiæ Franc. pag 400. Joannem pariter appellat Monachum illum, nullo attamen relato antiquitatis monumento in hujus rei testimonium. Dubium ergo ex historicis, num appellaretur Albinus, vel Joannes. In hac re non minus antiqua, quam obscura,

ut

ut ego quoque ſententiam meam interponam, utroque nomine vocatum fuiſſe opinor, nempe J*oannem Albinum*, quemadmodum Alcuinum Karoli Magni Præceptorem Flaccum, Albinum nuncupatum ſcribit Joannes Mabillonius initio Elogii B. Alcuini Abbatis Sancti Benedicti ſec. 4. part. 1. duplici nempe Monachi nomine confuſa hiſtoriæ veritate. Hujus quoque ſententiæ eſt Vir Doctiſſimus Jacobus Uſſerius in Præfatione ad Epiſtolas Hybernicas, qui poſtquam de duobus Monachis ab Hybernia in Galliam profectis, & de Clemente eorum altero verba fecit, ſic proſequitur. *Socium autem illius Albinum apud Italos in Vrbe Ticinenſi, ſivè Papienſi a Rege Karolo collocatum ab Albino Anglo in loco jam citato clarè ſeparat Notkerus, neque alium Ioannem illum Albinum eſſe exiſtimaverim cui Rethorica præcepta inſcripta ſe vidiſſe teſtatur Georgius Buchananus Rerum Scoticarum lib. 4. in Rege Achaio, quæ Albino Flacco ſivè Alcuino vulgo tribuuntur.*

Sed quinam Joannes hic fuerit ſatis non patet, cum & de aliis duobus Monachis, eodem nomine appellatis, mentio fiat in Galliarum hiſtoriis. Unus fuit Joannes Erigena, præceptor Karoli Calvi, quem malè ſenſiſſe

de fide Catholica probat hæc Epiſtola Nicolai Papæ ad eumdem Karolum ſcripta anni. III. Pontificatus. *Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod opus B. Dioniſii Areopagitæ, quod de Divinis, vel cæleſtibus Ordinibus græco deſcripſit eloquio, quidam Vir Ioannes natione Scotus nuper tranſtulit in latinum, quod juxtà morem Eccleſiæ nobis mitti, & noſtro judicio debuit approbari. Præſertim, cum idem Ioannes multæ ſcientiæ eſſe prædicetur olim, ſed non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur. Hinc eſt, quod Dilectioni Veſtræ vehementer rogantes mandamus quatenus Apoſtolatui noſtro prædictum Ioannem repreſentari faciatis, aut certè Pariſius in ſtudio cujus Capital (Rector) jam olim fuiſſe perhibetur morari non ſinatis; nè cum tritico ſacri eloquii grana zizaniæ, & lolii miſcere dignoſcatur, & panem quærentibus venenum porrigat*. Quapropter, ut hanc hæretici notam, jam contra ipſum in Galliis vulgatam aufugeret, eum ſe contuliſſe ad Regem Elfridum putat Rogerius Hovendenſis in priori parte Annalium, ubi hujus Joannis plura deſcribit; de quo alia in Annalibus Eccleſiæ Anglicanæ anno 883.: ſed hunc non fuiſſe illum Joannem miſſum Papiam a Karolo

lo Magno non est ambigendum, quia circa annum 780. ille fuit missus. Quæ vero dicuntur de isto Joanne Erigena, evenerunt circa annum 860. Alter est Joannes, qui cum aliis tribus Monachis Parisiensem Academiam instituit: de quibus Vincentius Bellovacensis lib. 23. Speculi Historialis cap. 173. *Fueruntque Parisiis*, inquit, *hujus studii fundatores Monachi IV. Bedæ discipuli, scilicet Rhabanus, & Alcuinus, Claudius, & Joannes Scotus*. Bellovacensem sequi videtur D. Antoninus, qui in 2. part. histor. tit. 14. cap. 4. §. 12. hæc scribit. Fuerunt autem Parisiis fundatores hujus studii IV. Monachi, Bedæ discipuli, scilicet Rhabanus, & Alcuinus, Claudius, & Joannes Scotus. Neque tamen istum Joannem fuisse missum Papiam, sed alium *Ioannem Albinum Scotum*, alium ab illis, judicandum credo, quem etiam Joannem Melrosium appellat Mezeray, qui omnium erat doctissimus teste Polydoro Vergilio lib. V. Histor. Anglicanæ. Nisi fortassis, ut alibi innui, missus quidem fuerit Ticinum Joannes Albinus Scotus ante annum 780. qui deinde accitus Parisios, dum ibi Academia publica instituerctur, demum fuerit suæ Academiæ Ticinensi restitutus. Ex his, quæ scribunt Aven-

tinus, & Polydorus Vergilius, potest dubitari de veritate adventus illorum duorum Monachorum eo modo, quo describitur a Sangallensi, cum ambo affirment fuisse vocatos a Karolo Magno: sed quum, & alios fuisse accersitos ab eodem Rege apertum sit, qui ejusdem nominis erant, & Sangallensis Historia satis ab antiquis sit approbata, revocari nequit in dubium, quod latius contra Joannem Launojum confirmabitur infra cap. X.

CAP.

CAP. VII.

Adventum Ioannis Albini Scoti Papiam contigiße circa annum 780. ostenditur, & contraria sententia confutantur.

POlydorus Vergilius Historiæ Anglicanæ lib. V. Joannem Albinum Papiam accessisse eodem anno 792. quo in Galliam advenit, nobis tradit. *Fuit*, inquit, *is annus salutis nostra circiter 792. cum duos ferunt Monachos ex Hybernia, sive ex Scotia, ut quibusdam placet in Galliam delatos, se sapientiam venalem habere magna voce testantes, mercedis loco cibaria, & vestiaria duntaxat petiisse, & istorum alterum, qui Clemens nominabatur a Karolo Lutetia retentum, eique ex omni ordine Civitatis traditos juvenes in disciplinam: Alterum verò in Italiam transiisse, &* Ticini *docuisse*. Sed hos Monachos multò ante venisse Parisios clarum esse puto, non solum enim anno 792. jam illuc advenerant Monachi illi, sed jam ante florebat Parisiis studium institutum a Karolo Magno, ut scribit Martinus Polonus in Adriano Pontifice ad an-

num 787. his verbis. *Hoc tempore floret Albinus, qui & Alcuinus Karoli eruditor; hic genere Anglicus fuit ingenio clarus, & philosophia excellentissimus non tantum scientia, sed etiam morum honestate praclarus. Ab eo Karolus didicit omnes artes liberales, qui etiam studium de Vrbe Roma Parisios transtulit, quod de Gracia illuc translatum fuerat a Romanis.* Quam tranlationem licet evenisse anno 791. affirmet Joannes Baleus Anglus in suo libro de Scriptoribus Anglicis, ubi ait: *Gymnasium ex Roma circiter annum salutis 791. Lutetiam Parisiorum transtulit, quod & illuc Athenis persimili prius cura venerat, & conjectis primum studii fundamentis per Ioannem, & Claudium mirificè illud lecturis collustrabat publicis.* Tamen evenisse anno 787. probat Scriptor S. Eparchii Engolismensis ad annum 787. *Quo anno*, inquit, *Karolus Magnus, cum Romam rediisset ad visendum Pontificem Adrianum, plures Roma Parisios secum duxit Cantores, & Grammaticos, & Domnus Rex Karolus iterum a Roma artis grammatica, & computatoria magistros secum adduxit in Franciam, & ubique studium literarum expandere jussit.* Quos autem secum adduxit Karolus, duo fuerunt *Petrus, & Romanus* cantuum, & septem libera-

ra-

ralium artium paginis abundè instructi, ut testatur Enkecardus junior Monachus Sangallensis in lib. de Casibus S. Galli cap. 4. At Franciscus de Mezeray in Histor. Franc. tom. 1. pag. 400. sub anno DCCLXXV. missum fuisse Ticinum illum Monachum tradit: quem tamen errasse puto, cum vix hoc anno Karolus Magnus universa potitus fuisset Italia, nec credibile est illum Papiam accersitum esse ad humaniores artes tradendas ante Desiderium subactum. Propterea, nec anno 775. ut vult Mezeray, nec anno 792. ut tradit Polydorus Vergilius, hoc contigisse, sed intra annum 775. & 780. accessisse Clementem, & Joannem Albinum Parisios censeo, & propterea circiter hoc tempus Joannem missum Papiam. Ad hoc luculenti testes mihi esse videntur Galliarum Historici, qui vel ab Alcuino institutas Scholas Parisienses ferunt; vel hunc in Galliam accessisse, postquam audivit bene receptos Clementem, atque Joannem Albinum, ut scribit Monachus Sangallensis in sua Historia cap. 1.. Quumque secundum Alcuini adventum contigisse circa annum 780. postquam latius floruere literæ in Galliis, re diligenter examinata, probet Mabillon. in Actis SS. Ordin. S. Benedict. sæ-

cul. 4. part. 1. in Elogio B. Alcuini pag. 168. ſequitur ante annum 780. florere cœpiſſe literas Pariſiis cum Petri Piſani, tum Clementis ſtudio, atque opera, ut dictum eſt cap. 5. & ſic ante annum 780. illos Monachos acceſſiſſe in Galliam, & Joannem Albinum Papiam miſſum a Karolo Magno. Quamobrem rectè obſervaſſe videtur Bulæus tom. 1. Hiſtoriæ Univerſit. Pariſ. pag. 93. dum ait; *Quod ſub anno 779. Pariſiis convenerunt Doctores Angli, ſcientiam vaenalem habere clamitantes.* Quo factum fuit, ut ſub anno 781. levis adhuc fama eſſet Pariſienſis ſtudii apud exteros; & ideò, cum eodem anno conſtitutum fuiſſet conjugium inter Rotdrudem filiam Karoli Magni, & Filium Conſtantini Imperatoris Orientis, Irenes Imperatrix Eliſæum Eunuchum, & Notarium, qui Græcorum literas, & linguam, receptoſque per Imperium Romanum mores eam edocerent, reliquit, ut ex Theophane tradit Karolus Cointius Annalium Francorum tom. 6. n. 3. ſub anno 781. licet anno 775. qui fuit ſecundus Conſtantii, & Irenes, aſſerat hæc eveniſſe Paullus Diaconus in Hiſtoria Miſcella lib. XXIII. edit. Baſil. anni 1569. qui neque diſiunctos fuiſſe tradit Eliſæum, & Notarium,

Eli-

Elisæum inquiens *Eunuchum, atque notarium*: Qui Elisæus, atque Notarius illi fortè fuerunt, qui postea literas græcas docuerunt Parisiis; quos Constantinopoli accersitos credibile esse ait Ludovicus Thomassinus de Veteri, & Nova Ecclesiæ Disciplina part.2.lib.1. cap. *96*. n. 2.

Posset utraq; opinio conciliari, si diceretur Joannem, statim ac advenit in Galliam, missum fuisse Papiam, hocque evenisse ante annum 780. deinde fuisse accitum Parisios a Karolo Magno, quando publicam Academiam ibi voluit instituere; indeque rediisse Ticinum anno *792*.: Sed de hoc nihil, ut in cap. superiore affirmare contendo; præsertim, cum Petrus Angelus lib. 2. de Professoribus scribat Joannem post jacta fundamenta Scholæ Parisiensis venisse Ticinum anno 813. quos Joannes esse diversos jam probavi.

CAP.

CAP. VIII.

Petrus Pisanus e Scholis Papiensibus in Galliam vocatus a Karolo Magno, primus Parisiensis Studii institutor. Hinc Scholas Papienses illis saculis non Episcopales, seù Cœnobiales, sed publicas, & universales fuisse statuitur.

EA hucusque apud aliquos ex nostratibus, quos vulgus eruditos existimat, insedit opinio, quando Joannes Papiam fuit missus a Karolo Magno, non viguisse ibidem artes liberales, nec ipsum Joannem scientias professum fuisse, sed tantum Papiam transmissum ut literarum rudimenta postliminio revocaret, bellorum feritate expulsa. Jam supra cap. V. probatum est clarissimo ipsius Alcuini testimonio floruisse Ticini literas docente Petro Pisano, antequam Karolus Magnus potiretur Italia; quinimmò ipsum advocatum a Karolo Magno e Papiensibus Scholis, fuisse primum authorem Parisiensis Academiæ fatetur ipse Bulæus Universitatis

tis Parisiensis Historicus lib. 1. in Catalogo Virorum Illustrium lit. P. . *Petrus Pisanus in Ticinensibus Scholis diù floruit, deinde a Karolo advocatus in Palatinis Parisiis Grammaticam docuit, eamque ab eo Karolus ipse didicit teste Eginardo, & alibi. Itaque Petrus ille, meritò dici potest primus Scholæ Palatinæ, & Regiæ institutor.* Non ergo paucorum annorum cursu sic eliminari potuerunt literæ, ut opus fuerit e Gallia magistrum ad earum rudimenta tradenda deligere; nam, licet etiam omninò Scholæ publicæ, quæ ibi erant, interiissent, adhuc ad humiliores scientias tradendas superfuisse privatas Scholas, seu Cœnobiales, & Episcopales perspicuum est. Concilio siquidem Toletano 2. can. 1. jussum est. *Ut pueri, qui recentes ab ubere dicati fuissent Clero, simul omnes in domo privata instituerentur a præceptore, & sub Episcopali præsentia erudirentur*; Quod sub anno 624. confirmatum fuit ab alio Concilio Toletano IV. can. 23. quibus succedentibus temporibus accesserunt etiam Concilia Toletana VIII. & IX. illud can. IX. & istud can. II. In Harum Scholarum locum post Concilium Toletanum II. visa sunt successisse seminaria, & sic Archidiaconis sublata cura docendi in Scholis

lis

lis Episcopalibus, quod eorum munus fuisse, colligi potest ex epistola 4. S. Remigii tom. 1. Concilior. Galliæ, ubi inquit. *Cum igitur Levitas feceris, Præsbyteros consecraris, & Archidiaconum institueris Primicerium Scholæ.*

Aliæ pariter aderant Scholæ Cœnobiales dictæ, quas summopere auxit D. Benedictus, qui pueros in Cœnobiis educabat, informabatque ad pietatem, ejusque Monachi disciplinis, & omnium scientiarum genere eos instruebant. Quarum Scholarum tantam fuisse famam memoriæ tradidit D. Gregorius Dialogorum lib. 2. cap. 3. ut ad eas Romani Cives nobilitate insignes, & alicui sacro ordini adscripti confluerent, suosque eis filios Omnipotenti Deo educandos committerent. Quæ Scholæ sæculo VIII. Imperante Karolo Magno adhuc vigebant, & eximiè Ordo Divi Benedicti florebat Papiæ; ubi plura hujus Ordinis erant Cœnobia, quemadmodum constat ex Historia Paulli Diaconi De Origine, & Gestis Langobardorum, licet tepere viderentur in Galliis, ut probat epistola, quam ipse Karolus Abbatibus, & Episcopis scripsit, relata a Karolo Cointio Annal. Francorum tom. 6. pag. 340. Quapropter pluribus Synodis sub eodem Karolo restitutæ, ut in Conci-

liis

liis Galliæ tom. 2. pag. 121., & in Capitulari Aquisgranensi legitur ann. 787. can. 72.

Præter istas Scholas erant etiam Parochiales, ut in Concilio Moguntino can. 45. quibus pauperes pueri, qui ad Urbes accedere non poterant, instruebantur: licet ego, has non ad scientias pertinere, verius credam, sed solum ad prima fidei rudimenta, sic mihi suadentibus verbis relati Concilii. *Filios suos donent ad Scholam, sivè ad Monasteria, sivè foras Præsbiteris, ut fidem Catholicam discant, & Orationem Dominicam, ut domi alios edocere valeant; & qui aliter non potuerit, in sua lingua hoc discat.* Quare Concilium III. Turonense can. 17. Episcopis mandavit. *Vt easdem homilias quisque apertè transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur.* Ad Cœnobiales Scholas licebat primum omnibus accedere; propterea deficientibus Monachis eruditis, ut qui Sacro se alicui Ordini devoverant, & in sæculo degentes instruerentur, etiam ab Imperatoribus Magistri perquirebantur, & mittebantur ad Monasteria, ut factum fuisse a Pipino, & Karolo Magno narrat Hedio Historiæ Ecclesiast. lib. 6. cap. 9. *Doctos Viros*, inquit, *e Græcia in Galliam venisse,*

&

& a Pipino, ac Karolo Magno in Monasteria missos esse ut Græcam linguam docerent Monachos: atque ità Ægidium in Galliis, Appollonium Ratisbonæ in Cœnobio Hemerani, Vergilium apud Salburgenses inclaruisse. Progressu tamen temporis laicis perclusus est aditus, ut sentit Cointius tom. 6. pag. 341. in fine: Quod jussum fuisse videtur Aquisgrani a Ludovico Pio anno 815. ut eruitur ex Capitularibus Franc. lib. 5. cap. 59. in addit. ubi de Ludovico hæc leguntur. *Constituit ut Schola in Monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt.* Nam Laicis jam provisum erat publicis Academiis, pluribus in locis institutis a Karolo Magno,& ab ipso Ludovico: quas tamen, cum non in singulis urbibus extarent, idcircò apertas Scholas Cœnobiales privatas, & publicas fuisse coniicitur ex Enekardo Monaco in lib. de Casibus Monasterii S. Galli cap. I. *Traduntur*, inquit, *post tempus, Marcello Schola Claustri, cum Notkero posteacognomine Balbulo, & cæteris monastici habitus pueris. Exteriores autem, idest Canonica Isoni, cum Salomone, & ejus comparibus.* Ex quibus Filesacus in lib. de Sacra Episcopor. Authoritate cap. 15. infert, *Claustrales istas Scholas in intimis Monasterii penetralibus constitutas fuisse,*

fuisse, alias vero extra Monasterium. Non itaque ambigendum est, num Papiæ extiterint ante Karolum Magnum monumenta scientiarum, quum illuc jussu Regis venit Joannes Albinus, quod tamen quidam sciolus perperam, & audacter negare non dubitavit. Nam paullo ante ex istis scholis accitus in Galliam fuerat Petrus Pisanus, ut dictum est cap. V. ac Papiæ, quoniam post ejus discessum scientiæ interierant, ex recepto jure Conciliorum, & Pontificio vigere debebant Scholæ Episcopales, & Cœnobiales: quapropter illum Joannem Albinum non missum a Karolo Magno ut infimi ordinis scientias traderet, quum ibi Viri in his peritissimi, jam adessent, sed ut sublimiores, & magis reconditas, nec non Sacras literas, Arithmeticam, Astronomiam, & cæteras Mathematicas dictaret, ut supra eodem cap. V. in quibus Alcuinus, & Joannes Albinus, utpotè cæteris peritiores, maximè excellebant.

CAP.

CAP. IX.

Monasterium Sancti Augustini Joanni Albino a Karolo Magno assignatur. In dicto Monasterio aderant Benedictini ante Karolum Magnum. Canonicis Regularibus in eodem locus datus ante annum MCCXXII. contra Joannem Mabillonium: ibique apparitio Sancti Augustini cuidam Canonico Regulari sub XI. saeculo.

LOcus etiam concessus Joanni Albino, ut in eo scientias profiteretur, non parum confert ad veritatem illustrandam eorum, quæ diximus Cap. præcedenti. Etenim, cum Scholæ publicæ instituendæ essent sub Coelo salubri, quale est Ticinense, ut latè probat Æneas Silvius in Oratione habita in Concilio Basiliensi, dum agebatur de loco eligendo pro Æcumenico Concilio cum Græcis habendo, quam extractam ex Autographo MS. Ambrosianæ Bibliothecæ Mediolani mihi communicavit V. C. Antonius Albuccius, ejusdem præfectus dignissimus;

mus; & ad eas scholas locus requireretur a strepitu, ac a turba semotus, hujusmodi erat Monasterium Sancti Augustini a Karolo Magno Joanni Albino assignatum, ut potè situm extra muros Papiensis Urbis: sicque remotum a strepitu populi, & sub aere saluberimo, ac propterea dictum in Cælo aureo, ut notat Bernardus Saccus Histor. Ticinens. lib. 10. cap. 3. Quamvis intra ipsum Cœnobium semper non permanserint, quia post legem Ludovici Pii ann. 815. relatam in cap. præcedenti verisimile est, fuisse translatas in areolā, quæ hucusque vocatur *del lino* apud S. Mariæ Perroni, ut tradit Stephanus Breventanus de Antiquit. Papiæ lib. 1. cap. 4.. Hoc Monasterium Sancti Augustini conditum fuisse a Luithprando, testatur Paullus Diaconus lib. 6. de Gestis Langobardorum cap. 18. his verbis. *Hic gloriosissimus Rex multas in Christi honore per singula loca, ubi degere solebat, Basilicas construxit: hic Monasterium Sancti Petri, quod foras muros Ticinensis Civitatis situm est, & Cælum aureum adpellatur, instituit*. Quod aliqui etiam ampliant, ac referunt ad Ecclesiam. Hoc tamen alii negant, quia jam extabat templum Gotthorum, quod solum a Luithprando restauratum asserunt: sed de

hoc alibi. Monachis Caſſinenſibus hoc Cœnobium conceſſum fuiſſe a Karolo Magno, probat Mabillonius in Actis Ordinis S. Benedicti Sæc. 3. part. 1. pag. 438. Primùm ex conceſſione ejuſdem facta Joanni Albino, deinde ex Ferdinando Ughello, qui de Uberto Sacchetto loquens ait: *Vbertus Sacchettus Abbas Sancti Petri in Cælo aureo Ordinis Sancti Benedicti ad hanc ſedem adlectus anno MIIX. vixit uſque ad MXXVI.* Ibique Monachos Benedictinos ſemper conſtitiſſe, affirmat idem Mabillonius in Itinere Italico tom. 1. pag. 222. donec ab Honorio III. diplomate dato Laterani idibus Junii ejus Pontificatus anno V. qui fuit Æræ Chriſtianæ MCCXXII. Canonici Regulares ſunt ſubſtituti. Quibus anno MCCCXXVII. adjuncti Eremitæ Auguſtiniani, ut ex Jordano in lib. 2. de Vita Eremitarum cap. 18. addit in Actis Ordinis Sancti Benedicti Sæc. 3. part. 1. pag. 438. num. 6.. Verum ante imperium Karoli Magni datum fuiſſe Benedictinis illud Monaſterium ex quodam privilegio relato a Gabriele Pennotto in Hiſtoria Canonicorum Regularium lib. 1. cap. 60. arguit Aloyſius Torellus in Sæculis Auguſtinianis tom. 3. ſub anno DCCXXV. n. 11. quod etiam confirmatum

vidi

vidi privilegio anni CMXXVI. dato ab Hugone Rege Italiæ; & ab altero Othonis anni CMLXII. quæ referuntur ab eodem Pennotto, quamvis nihil de his Margarinus in suo Bullario Cassinensi.

Hæc tamen nuper controversa legi in libellis editis pro ossibus Sancti Augustini. P. Abbas Bellinus Canonicus Regularis in suo Responso ad Lychnum P. Berrettæ parum veritati consona illa esse, contendit. Non ego Judex, nec Advocatus in tanta lite, sed quod ante annum 1222. Canonici Regulares Sancti Augustini in *Cælo aureo* Monasterium habuerint, suspicari licet primum ex privilegio Paschalis PP. II. ann. 1005. apud prædictum Pennottum lib. 1. cap. 61. in quo mentio fit de Clericis Regularibus. Secundo ex Historia Notkeri Balbuli communi consensu recepta ut supra cap. V. (qui scripsit sub IX. sæculo) ubi Monasterium istud in Cælo aureo, Benedictinis traditum propter Joannem Albinum secundum Mabillonium a Karolo Magno, vocatur *Sancti Augustini*. Ex quo licet arguere, fortasse ita appellatum a Regularibus Sancti Augustini, cum hoc nomine vocetur Monasterium, & Ecclesia semper D. Petri nomen retineat. Quæ confirmari videntur

epiſtola Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis, qui floruit ſub XI. ſæculo, edita anno 1700. a Stephano Baluzio in V. tomo Miſcellaneorum pag. 347. quam, cum in ea agatur de quadam Apparitione Sancti Auguſtini, quæ fortaſſe hucuſque non innotuit, lubet piis Papienſibus iterum patefacere.

Domno Pomoni Religioſo Sacerdoti, & Deo amabili, & omni ſuæ Congregationi Lambertus Sanctæ Atrebatenſis Eccleſiæ Servus inutilis, & Presbiter indignus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Quoniam multa mihi de laudabili veſtra, veſtrorumque filiorum converſatione referentes Compatriotæ mei honeſti Presbiteri L. videlicet atque A. dederunt mihi quaſi quandam fiduciam apud Fraternitatis veſtræ dilectionem impetrare, quod poſtulamus. Poſtulamus namque inſtanter, quatenus viſibilem, ut dicitur Miſſæ celebrationem, quam quidam Frater veſter Canonicus apud B. Petrum vobis convicaneum Monachus factus in Confeſſione Monaſterii prædicti Apoſtoli B. Auguſtinum vidit, & audivit agentem ad Altare proprii ſepulchri veſtro veraci ſtylo deſcriptum, quod ibi cantatum eſt, quod lectum eſt, nobis mittere dignemini. Communionem ſolummodo hoc corpus, quod prò Vobis

tra-

traditur, prædicti Fratres in illo officio contestati sunt, se retinuisse, & cantatum ibi fuisse. Benè valete reverende, & dilecte Pater in unico Dei Patris Filio Salvatore nostro Domino Jesu Christo, & orate pro nobis. Visionis autem modum, & tempus, & horam, cum Dominicæ Incarnationis anno, & Indictione sicut Canonicum est, & quis fuerit in S. Romana Catholica, & Apostolica Sede Pontifex, & quis Ticinensi tunc præfuerit Ecclesiæ, annotate. Quare censeo, ante XI. sæculum extitisse Clericos Regulares fortasse simul cum Benedictinis in dicto Monasterio: quod istis postea ademit Honorius III. illo diplomate, quod refert Mabillonius in Itinere Italico tom. 1. pag. 222. de quo supra; sed postquam digressi sumus tantisper ad laudem, & gloriam Divi Augustini, redeundum nobis est ad Joannem Albinum, quem, ut ostendi cap. præcedenti, consentaneum non est, eò missum esse, ut doceret rudimenta literarum in Monasterio Ordinis Sancti Benedicti, in quo ex ejus institutione, & ad præscriptum Canonum Conciliorum, literæ excolebantur; sed ut subtiliores scientias profiteretur.

CAP. X.

Scolas Papienses fuisse erectas in publicam Academiam, cum privilegio Karoli Magni, & Ludovici Pii coniectura. Synodi VI. Ecclesiæ Gallicanæ de Scholis locus expenditur. Innocentii Cironii, ac Ludovici Thomassini opiniones circa ejus verum intellectum referuntur. Sangallensis Historia a Launoii censura vindicatur, ac ipse plurimorum errorum apertè convincitur.

QUam antiquus fuerit usus Academiarum, probant Historici veteres, apud quos illarum memoria passim occurrit: easque recentioribus sæculis in Civitatibus Metropoliticis erigi jussit Gratianus Imperator rescripto, quod refert Cointius Annal. Fancor. tom. VI. sub anno 787. nu. XI. Verùm ante Karolum Magnum peculiaribus Cæsarum privilegiis non fuisse instituta publica studia, aliqui ferunt, ut falsa

reii-

reiicientes diplomata, quæ temerè ſibi vindicant aliquæ Academiæ. Nolo ego aliarum Univerſitatum vetuſtatem, & gloriam in dubium revocare; ſed tantum quid verè ſentiam de Ticinenſi ea, qua debeo, ſinceritate proponam. Subacta Italia, quantum ſecum gaviſus fuerit, & amicus de hoc regno gratulatus fuerit Karolus Magnus, alibi demonſtravi. Aſſumpto titulo Regis Langobardorum ſummæ curæ æquè illi fuit rectas ferre leges, ac latas amplificare, atque illuſtrare, ut legitur apud Papirium Maſſonium in Annalibus Francorum lib. 2. in Vita Karoli Magni. Quumque ſciret, Papiæ prioribus ſæculis ſcientias enituiſſe, in hac tanquam in Urbe Regia, totiuſque Italiæ primaria, ſitu ſalubri, & amœnitate fœlici, ſtatuit publicam inſtituere Academiam. Ideo poſtquam ad ipſam accerſiviſſet Joannem Albinum, ut ſublimiores ſcientias profiteretur, ſtatim ac a Leone Pontifice proclamatus fuit Imperator Occidentis, Ticini Scholas publicas, & univerſales inſtituit, ut ſcribunt Henricus Pantaleo de Viris Illuſtribus totius Germaniæ part. 2. in Karolo Magno, cujus verba ſupra retulimus cap. V. & Karolus Egaſſius Bulæus de Pariſienſ. Univerſit. tom. 1.

pag. 96. qui inquit: *Alia vero res est de Scholis majoribus, & publicis, quas non ubique passim Karolus institui voluit, ut priores, nec in Episcopiis, & Monasteriis erexit: sed in certis tantum locis, iisque celeberrimis, & frequentatissimis, nec plures tribus in toto Imperio; unum quidem Lutetiæ, antequam esset Imperator, scilicet circa annum 790. ut vulgò scribunt Historici: reliquas duas in Italia, Papiæ, & Bononiæ, postquam a Leone Pontifice proclamatus est circa annum 801. Occidentis Imperator. Ad has autem veluti ad celebria quædam Emporia liberum patere voluit aditum, & confluxum e minoribus quibuscumque, tanquam e Seminariis, & veluti canalibus ad fontem, & e rivulis ad Oceanum*. Quod idem Bulæus confirmat pag. 97. inquiens: *Quum certum sit ex omnium Historicorum confessione, illas aut instituisse, aut instaurasse post adeptum Occidentis Imperium*. Vita functo Karolo Magno anno DCCCXIV. ipsi in Imperio successit Ludovicus filius, cujus Imperii initio, cum forte scientiarum amor frigesceret, vel Academiæ a patre institutæ nondum satis rectè procederent, egerentque vel confirmatione, vel patrocinio, in Comitiis celebratis in Antiniano, quæ extant apud Galdastum

Con-

Constitutionum Imperialium tom. 3. anno 820. promulgari jussit per totum Imperium quasdam leges, quarum cap. V. leguntur ista de Scholis. *Inter Nos pari consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in Scholis habendis, & ad utilitatem Ecclesiæ militibus Christi præparandis, & educandis abhinc majus studium volumus probare, ut quando ad Provinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum Scholasticos suos eidem Concilio adesse faciat, quatenus & cæteris Ecclesiis noti sunt, & ejus solers studium circa Divinum cultum omnibus manifestum est.* In VI. etiam Synodo Ecclesiæ Gallicanæ, quæ extat in 3.tom.Conciliorum Labbei lib.3.cap. 12. & apud Cointium Annal. Francor. sub anno 829. n. 41. & 49. Patres hæc Imperatori exposuerunt. *Similiter etiam obnixè, ac simpliciter Vestræ Celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperii Vestri locis, Scholæ publicæ ex vestra authoritate fiant, ut labor Patris vestri, ac vester per incuriam, quod absit, labefactando non depereat: quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor S. Dei Ecclesiæ, & Vrbis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiterna accrescat.* In hoc Concilio

lo-

loqui de Academiis Parisiensi, Ticinensi, & Bononiensi receptum esse, fatetur Bulæus pag. 161. ejusdem tom. 1. quamvis aliqui de hac ultima dubitent, ut Papirius Massonius, qui in Annalibus Francor. post allatum locum illum Concilii pro Bononiensi recensens Patavinam ita concludit. *Ex his verbis apparet, tres publicas Scholas a Karolo M. institutas, quæ Academiæ dicuntur, post ipsius mortem perituras fuisse, si Ludovicus paternum amorem sequutus non fuisset, cui non minor literarum cura fuit, quam Patri: sed utrumque Karolus Calvus hoc erga literas studio longè superavit.* Quibus in Vita Ludovici Pii eodem libro hæc addit. *Parisiensis, Patavina, & Ticinensis Academiæ Karolum Magnum parentem suum appellant. Prima cis Alpes in Regno Francorum, posteriores in Italia.* Sic etiam loco Bononiensis Osnabrugensem accensendam, putat Bulæus in relata pag. 161. de qua Pithoeus in Glossario Capitularium Francor. tom. 2. pag. 745. V. Scholæ, hæc fragmenta privilegii refert ex Krantzio. *Græcas, & latinas Scholas in perpetuum manere ordinavimus.* Quæ Guidi Panziroli sententiam confirmare videntur, asserentis in lib. 4. de Claris Legum Interpret. in princip. vers. Aliæ postea, Bononien-

nienfem Academiam erectam fuiffe poft Karolum Magnum. Sed ut res fe habeat, certum eft, loqui in memorata Synodo Gallicana de Scholis majoribus, five Univerfitatibus Studiorum; & de Parifienfi, ac Ticinenfi, quas diximus, fuiffe a Karolo Magno vel inftitutas, vel reftauratas in maximè idoneis Imperii locis. Quamobrem valde mirum, quomodo Innocentius Cironius Tholofanæ Academiæ Cancellarius in lib. 5. decretal. de Magiftris Ticinenfem Academiam omiferit, & alias pofterioris ævi enumeraverit, dum poft relatum caput III. Concilii Cabillonenfis II. & poft citatum Canonem XII. lib. III. Synodi VI. Gallicanæ fic infert. *Per publicas illas Scholas intelligi debent Scholæ Univerfitatum, quas certis tantum locis ftabilitas fuiffe conftat, veluti Lutetiæ in Gallia, Romæ, & Bononiæ in Italia a Karolo Magno, Oxoniæ in Anglia, Salmanticæ in Hifpania*. Nam, quod de Romana, Oxonienfi, & Salmanticenfi afferuit, a veritate recedere, clarum eft: quia, ut fatentur omnes Hiftorici, tempore Karoli Magni jam Romæ aderat Academia, ex qua Grammaticos, & *Calculatores* ille duxit Parifios. Oxonienfem autem aliunde quam a Karolo Magno ducere principia, teftatur ejufdem Univer-

versitatis Historicus Antonius a Wood pag.9. & Salmanticensem multo post fuisse institutam, perspicuè probat Mendo de Jure Academico quæst. 7. §. 1. qui solum sub XII. sæculo ab Alphonso IX. conditam fuisse, ostendit: nec poterat a Karolo Magno institui, quum Karolus Magnus nunquam fuerit potitus hac Urbe.

A recto etiam tramite discessisse videtur Ludovicus Thomassinus de Nova, & Veteri Ecclesiæ Disciplina part. 2. lib. 1. cap. 97. qui censet, illis verbis Concilii VI. Parisiensis contineri Turonensem, Lugdunensem, & Fuldensem Academias: quum (licet hoc pro Turonensi contra Parisiensem probarit Duchesnius in Præfatione ad opera B. Alcuini, quem attamen confutavit Bulæus tom. 1. pag. 122. apud Historicos VIII. & IX. sæculi) nullum prorsus de illa Thomassini opinione monumentum occurrit: nec satis constat, unde hauserit sententiam suam Thomassinus, quum illi, quos adducit testes suæ opinionis, solùm de Cœnobialibus, sive Episcopalibus Scholis agere videantur. Sed præ cæteris Joannes Launojus non minus audax, quam parum veritatis amicus jure, & merito communiter judicatur ob illas calumnias, quas obii-

obiicit nonnullis Historicis, inter quas negligendæ illæ non sunt, quibus insurgit contra Monachum Sangallensem, sive Notkerum Balbulum, ac omnes illos, qui publicas Scholas institutas fuisse a Karolo Magno, memoriæ nostræ mandarunt. Is quippe Capite II. operis sui de Scholis celebrioribus transcribit caput primum Sangallensis Historiæ, & contra ipsam falsò plurima congerit. Primum est, quod Alcuinus Bedæ auditor non fuerit; quia Beda obiit anno 731. & Alcuinus anno 804.: itaut 73. anni inter utriusque mortem intercesserint. At in primis non satis certum est, anno 731. obiisse Bedam. Mabillonius enim sæculo III. Bened. part. 1. pag. 549. in Vita Bedæ ait, hunc mortuum anno 735. & Petrus Franciscus Chiffletius in concordia Bedæ, & Fridegarii pag. 4. ex epistola Cuthberti emendatiore edita a Simone Dunalmensi concludit, Bedam e vita migrasse anno 762. Quo casu ferme potuit Alcuinus fuisse discipulus Bedæ. Secundo, cur non poterat Alcuinus vixisse supra octuagesimum annum, & sic fuisse discipulum Bedæ, atque Egberti Eboracensis Episcopi, ut Alcuinus de se fatetur in epistolis suis? Porro Alcuinum senem obiisse, apertum est ex Epistola I.

quam

quam ipse scribit ad Karolum Magnum pag. 1464. edit. Quercetani. Tandem Bedam vixisse juvenili saltim ætate Alcuini, eruitur ex epistola 49. ejusdem, quæ extat ibidem col. 1565. ubi hæc habet. *Recogitate nobilissimum nostri temporis Magistrum Bedam Presbiterum, quale habuit in juventute discendi studium, quam nunc habet inter homines laudem*. Quam epistolam forte non observavit Mabillonius in elogio B. Alcuini, dum visus est dubitare, an Alcuinus ante natus fuerit, quam Beda e vita decederet.

Secundus error, in quem placet Launojo Sangallensem incidisse, est, quia tradidit, Alcuinum audito, quod Karolus benignè Monachos susceperat, conscensa navi ad eum venisse. Contra quæ opponit epistolam Alcuini, ut probet, non prius eum venisse ad Karolum, quam ab isto fuerit accitus. Sed hoc non probat epistola, quam refert Launojus: quinimmo non semel, sed pluries venisse Alcuinum in Galliam, colligit Mabillonius in Elogio B. Alcuini. Unde fieri potuit, ut hic sponte sua venerit in Galliam, ut scribit Sangallensis, & inde discesserit, sed iterum fuerit vocatus a Karolo Magno, veritate ab Historicis ita confusa, quod ipse sæpe in Galliam

Galliam advenerit. Addit Launojus, malè a Sangallensi cap. VIII. suæ historiæ proditum fuisse, quod vivente Karolo Magno in toto ejus Regno scientiæ floruerint. Etenim cum II. Cabillonensi Concilio statutum fuerit, ut Episcopi Scholas constituerent, arguit Launojus, nullam necessitatem fuisse eas instituendi, ubi jam literæ floruissent. At infelix Criticus non observavit, hic suaderi Episcopis, ut Scholas Episcopales erigant, sive excolant, quod si ante Concilium non satis diligenter factum fuerat, non propterea confici potest, literas in Regnis Karoli Magni non viguisse. Hujus enim rei præter Sangallensem certissimum nobis affert testimonium Joannes VIII. PP. in Concione habita ad consessum *Prælatorum* pro inauguratione Karoli Calvi, quæ legitur apud Duchesnium tom. 2. pag 467. in qua de Karolo Magno loquens Sanctus Pontifex ait. *Religionis quippe statum inter diversorum errorum, & pravitatum vepres incultum inventum sacris literis erudivit, divina pariter, & humana scientia perornavit, erroribus expurgavit, ratis dogmatibus saginavit, atque ita industrio pietatis medio egit, ut novus quodammodo videretur Mundus magnis luminaribus venustatus, & va-*

variis vernantibus floribus adornatus. Contra hæc non facit Canon II. lib. 3. Concilii VI. Parisiensis, ut sibi astruit Launojus. Nam post conditas a Karolo Magno publicas Scholas potuit literarum ardor tepere, & ideo egere adiutorio Ludovici, ut liquet ex ipso Canone, quo *Imperatorem hortantur Patres, ut morem paternum sequendo Scholas publicas sua authoritate restauret, ne labor Patris, & suus per incuriam depereat*. Præterea non advertit Launojus Sangallensem loquutum de Regno, in hoc autem Concilio Parisiensi, & in Cabillonensi actum fuisse de Imperio. Sed nihil ineptius eo, quod adversus missionem Joannis Albini factam a Karolo Magno Papiam tradit idem Launojus in fine ejusdem cap. II. ubi ignorans tres fuisse Joannes, ut ostendimus supra cap. VI. de Joanne Erigena Hybernico putat intelligere illos, qui tradunt, in Parisiensi Universitate Magistrum gessisse Joannem Albinum Scotum Mailrosium, qui floruit annis circa LXXX. ante Joannem Erigenam. Imperatoria itaque authoritate firmatam Universitatem nostram anno DCCCI. a Karolo Magno, & a Ludovico Pio confirmatam anno DCCCXXIX. coniicere licet, quamvis de responso a Ludo-

dovico, dato, Patribus Concilii Parisiensis non constet; ut conqueritur Ludovicus Thomassinus de Nova, & Veteri Ecclesiæ disciplina part. 2. lib. 1. cap. 97. nu. 10.

CAP. XI.

Studium, & amor Karoli Calvi erga ſcientias. Omnia Papienſibus confirmat privilegia. Papia ab Hunnis incenſa, ſed non everſa contra Frodoardum, & Hugonem Flaviniacenſem. Celebris diſputatio coram Othone II. inter Otricum, & Gerbertum.


POſt Karolum Magnum, & Ludovicum filium eximius fuit literarum patronus Karolus Calvus, quem illis præſtitiſſe ferunt ſcientiarum amore; ſub quo, quum aliqui hæretici quoſdam errores evulgarent circa præſcientiam divinam, Epiſcopi Gallicani congregati in Tullenſi Diæceſi apud Saponarias anno 859. Concilio facto Regem exorarunt, ut alias Scholas publicas inſtitueret, ut augeretur numerus Literatorum, & hinc plurimi Viri eruditi opponerentur hæreticis. Quibus a Karolo Calvo inſtitutis, tanta fuit erga ſcientias ejus aſſidua diligentia, ut eum Nicolaus Pontifex eleganti elogio laudarit in epiſtola pro Rothardo Epiſ-

copo


copo Suessionensi. *Laudanda est*, inquit, *frequens conversatio, & assidua cum Ecclesiasticis Viris, & cum Sapientibus vestra sedulitas; quam circa utilitatem Ecclesiarum Dei vos habere auditu gratulabundo concepimus.* Quod ex alia epistola scripta ab eodem Pontifice contra Joannem Erigenam Magistrum Karoli Calvi comprobatur, quam in suis ultimis Collectaneis, uti recens repertam in Oxoniensi Bibliotheca, publicavit Gabriel Naudæus. Hinc anno 875. mortuo Mediolani Ludovico II. Imperatore Joannes VIII. Karolum Calvum elegit in Cæsarem; & oratione, quæ extat apud Duchesnium tom. 2. pag. 467. Episcopis congregatis summis laudibus eum ornavit; ibique inter alia de ejus maximo patrocinio erga literas hæc habentur. *Karolus videlicet, de quo nobis sermo est serenissimus, & tranquilissimus Imperator, qui nobis, ut prætulimus in quos fines sæculorum devenerunt, quique caliginosi temporis ex quadam parte tetras ærumnas, & miserias sustinebamus, tanquam splendidissimum astrum ab Arce polorum illuxit, non solum monumenta Progenitorum bonitatem electa radicis ferens in ramo alacriter æquiparavit; verum etiam omne prorsus avitum studium vicit, & univer-*

sum paternum certamen in causa Religionis, atque justitia superavit: Ecclesias videlicet Domini diversis operibus ditans, Sacerdotes ejus honorans, hos ad utramque philosophiam informans, illos ad virtutes sectandas adhortans Viros peritos amplectens, Religiosos venerans, inopes recreans, & ad omne bonum penitus consecutus, & omne malum medullitus detestatus. Hisce decoratus Summi Pontificis laudibus die Natali Domini in Basilica Vaticana fuit Karolus Calvus inauguratus Augustus. Inde, ut narrat Sigonius de Regno Italiæ lib. 5. in vita Karoli Calvi, nonis Januariis Roma digressus Ticinum venit, & Regio Langobardiæ diademate ab Ansperto Archiepiscopo coronatus forum egit, leges populis dixit, & Ecclesiarum, ac Civitatum jura renovavit; ibique anno DCCCLXXVI. Concilium convocavit, quo ejus electio confirmata, ut legitur in Capitularibus Franc. tom. 2. col. 239. & supra cap. 2. De gymnasio Ticinensi nulla in his, fateor, mentio est. Quum verò ab Imperatore amantissimo literarum videamus Urbis privilegia, & jura renovata, credere licet, etiam Universitatem ab Avo conditam, & a Patre protectam, temporibusque propter hæreses summopere necessariam
ab

ab ipſo fuiſſe confirmatam, & auctam. Hiſce enim præcipuè temporibus vigebat etiam Papiæ Chriſtiana Religio, ut teſtatur nummus Rodulphi Imperatoris Papiæ cuſus,



ante tamen hunc nummum alter Hlotharii erat vulgatus.




Hæc pro literis illuſtrandis acta fuerant a Clementiſſimis Imperatoribus; quum anno CMXXIV. irrumpentibus Hunnis Rodulpho

Italiæ Rege XXXII. *Nobilissima Vrbs* Ticinensis fuit pene igne consumpta IV. Idus Martias fer. VI. hor. III. Miserandam hanc historiam, narrat Frodoardus presbiter in suo Chronico ab anno 919. ad annum 966. apud Duchesnium tom. 2. pag. 594. *Hungari*, inquit, *Frodoardus, ductu Regis Berengarii, quem Longobardi depulerant Italiam depopulantur. Papiam quoque Vrbem populosissimam, atque opulentissimam igne succendunt, ubi opes periere innumerabiles. Ecclesiæ 43. succensæ; Vrbis ipsius Episcopus, cum Episcopo Vercellensi, qui secum erat igne fumoque necatur; atque ex illa pene innumerabili multitudine ducenti tantum superfuisse memorantur, qui ex reliquiis Vrbis incensæ, quas inter cineres legerant argenti modios octo Hungaris dederunt vitam murosque Civitatis vacuæ, redimentes*. Hæc eadem verba Frodoardi transcripsit Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi apud Labbeum in Nova Bibliotheca M. S. tom. 1. pag. 125. & hanc quoque Papiæ cladem describit Luithprandus Diaconus in Historia de Imperio Europæ lib. 3. cap. 1. & carminibus eam deflet, quæ transcripserunt Spelta in Ticinensium Episcoporum Historia, & Ferdinandus Ughellus in Italia Sacra tom. 1. part. 2. dicto anno:

Sed

Sed non fuisse prorsus eversam patrocinio Sancti Syri, testatur idem Luithprandus cap. 2. ex quo conspicitur Berengarium non fuisse ducem exercitus, quum jam mortuus esset, ut ex Sigonio in Vita Rodulphi Regis lib. 6. Regni Italiæ: sed Salardum, *qui defixit per gyrum tentoria*, murosque Civitatis vallo circumdedit, ut exitus aditum Civibus intercluderet: tamen non est Civitate potitus, *quia reliquia*, ut ait Luithprandus, *quæ ex incendio supererant non inviriliter Hungaris resistebant*. Quare antiqua hujus Historici nisus authoritate, errasse credo Sigonium supra laudato loco, dum scripsit. *Hunnos tandem refractis portis ingressos, Civibusque promiscua sede perclusis, Vrbem direptione, atque incendio deformasse*. Et quidem anno 925. eodem Sigonio teste, fuit iterum obsessa a Rodulpho, qui quoque non potuit eam subigere, ac, ut meminit laudatus Ughellus, fuit suffectus in Episcopum Papiæ Leo Ordinarius Canonicus *Cathedralis*, & anno 929. Innocentius. Monasterio etiam S. Augustini in Cælo aureo anno 926. ab Hugone Imperatore fuerunt confirmata omnia privilegia relata a Pennotto in Historia Canonicorum Regularium lib. 1. cap. 60. cui adhæret P. Berretta in

Lychno §. 3. n. 32. Hæc autem omnia verisimiliter evenire non potuissent, si tota fuisset diruta, atque succensa, ac soli ducentum Cives superfuissent. Quinimmò Urbs hæc anno 961. Othonem Magnum recepit, qui Regiam a Berengario dirutam restauravit, teste Sigonio de Regno Italiæ sub illo anno. Quo tempore cusum numisma rotundum, quod mihi nuper cum aliis comunicavit Syrus de Rhaude grammatophylacii Papiensis Urbis custos, Patriæ, ejusque gloriæ amantissimus.



Et anno 975. recepit Othonem II. qui postea adfuit disputationi Otrici, & Gerberti, cujus meminit Hugo Abbas Flaviniacensis, in relato Chronico Virdunensi apud Labbeum. *Post annum*, inquit, *Remensis Adalbero Romam cum Gerberto petebat, & Ticini Otricum, cum An-*

Augusto reperit. Et paullo infra. *Et quia anno superiore Otricus Gerberti se reprehensorem in quadam figura cum multiplici diversarum rerum distributione monstraverat, jussu Augusti omnes Palatii sapientes intra Palatium collecti sunt, Archiepiscopus quoque, cum Adsone Abbate Dervensi, & Scholasticorum numerus non parvus, & cæpta disputatione, quum jam totum pene diem consumpsissent, Augusti nutu finis impositus est.*

CAP.

CAP. XII.

Lanfrancus Papiensis Magister omnium suæ ætatis doctissimus Parisienses Scholas a Petro Pisano institutas, restaurat circa annum MXXX. Papiæ Anselmum de Badagio, deinde Alexandrum II. Pontificem Max. discipulum habuit.

TOt ærumnis præteriti sæculi, quamvis vastata fuerit Urbs Ticinensis, suum tamen splendorem Universitati nunquam defuisse, palam esse arbitror. Nam circa annum MXXX. floruit Papiæ Lanfrancus ex ipsa Urbe oriundus, ut docet Henricus de Knygton lib. 2. de Eventibus Angliæ, Matre Coza, & Patre Humbaldo, qui erat ex insigni familia Beccaria, ut volunt Stephanus Marinus in Imaginibus Beccariæ Gentis pag. 24. edit. Ticinens. MDIIC. & Marcus Antonius Scipio Placentinus in libello italico Vera Ragione di Stato pag. 137.. Hic in Theologia, Sacris literis, ac philosophia

suo

ſuo tempore omnium doctiſſimus, & ſubtiliſſimus, ut probant ejuſdem opera, de quibus etiam mentio eſt apud Petrum Ricordati in Hiſtoria Monaſtica, poſtquam Papiæ ſcientias docuerat, ivit Pariſios, eòque literas ſub Karolo Magno a Petro Piſano Papienſi magiſtro delatas, alter Papienſis magiſter revocavit, illuſtravitque. Quamobrem Malmesburienſis in lib. 1. de Geſtis Anglorum Pontificum, de eo inquit. *Is gente Longobardus, non adeo abiecta, & obſcura progenie oriundus erat, ſed perinſignis, liberales artes, quæ jam dudum ſorduerant a Latio in Gallias vocans; acumine ſuo expolivit.* Papiæ celebrem diſcipulum habuit Anſelmum de Badagio Mediolanenſem, qui poſtea ad Pontificatum evectus ſub nomine Alexandri II. quum Lanfrancus, jam conſecratus Archiepiſcopus Cantuarienſis Romam profectus eſſet propter litem cum Thoma Eboracenſi Archiepiſcopo, ei e throno aſſurexit, & ipſum, ut legitur in Vitis XXIII. Abbatum S. Albani, excepit his verbis. *Aſſurgo tibi tanquam Magiſtro, & deoſculor tanquam pædagogum, & non tanquam Archipræſulem.* Suppar Lanfranci fuit Guido Langobardus, ut ſcribit Bulæus de Univerſit. Pariſienſ. tom. 1. pag. 445. qui obſtitit, ne inter-

terdicerentur Sacerdotibus conjugia : de qua re idem Bulæus pag. 424. hæc habet non omittenda. *Ne verò interdicerentur Sacerdotum conjugia, obstitit Guido Mediolanensis Præsul nobilium favore subnixus contra Papam, & Cives, qui infames illas nuptias detestabantur. Eòque res processit, ut conjugati Sacerdotes non amplius publicè sacrum facere Mediolani auderent, sed in loco quodam, qui Pataria dicebatur, facere cogerentur. Unde a pueris Patarini dicti sunt, & hinc fluxit hæresis Patarinorum. Nam Guido in sua sententia obstinatus apud Fontanetum in agro Novariensi ex consensu, & mente suorum Coepiscoporum Clericis uxores habere permisit, sicque omnium bonorum odium in se concitavit.*

Hoc verò sæculo, & pluribus superioribus Jus Civilè in Academiis non floruisse certissimum est, cum prorsus esset deperditum. Occupata enim Italia a Vandalis, mox ab Herulis, & Thuringhis, deinde a Gotthis oppressa, delituit jus civile, donec regnantibus Innocentio II. Pontif. Max. & Lothario II. Cæsare, in bello, quod acriter gerebant contra Rogerium Normannum, qui se utriusque Siciliæ Regem appellaverat, Amalphi, seù Melphi Urbe Apuliæ inventæ sunt juris

Pan-

Pandectæ ſupra omnem memoriam diu ibi ſervatæ; Quæ volumina ab Innocentio, & Lothario Piſanis, quia claſſe eos adverſus Rogerium juviſſent, tradita ſunt; ejuſque donationis per Lotharium collatæ habuiſſe Piſanos inſtrumentum, plures affirmare, ſcribit Jacobus Gottofredus in Hiſtoria Juris cap. IX. quod etiam tradit Panzirolus de Claris Legum Interpretibus lib. 2. cap. III. Hinc Piſis primùm explicari cœpit jus civile ab Irnerio, precibus Mathildæ Comitiſſæ Tuſciæ, quod ex Abbate Uſpergenſi refert Gottofredus, licet aliis placeat, Irnerium juſſu Lotharii jus civile explicaſſe primùm Bononiæ: qua de re plura Nicolaus Ciſnerus in Oratione de Veteribus Ictis, & Panzirolus eodem cap. III. ac cap. XIII. Non tamen ſine legibus, licet Barbari imperarent, fuit Italia, ſed locus fuit legibus Salicis, Burgondiorum, Viſigotthicis, & Langobardicis, quas exhibet Corpus Legum Antiquarum collectum a Friderico Lindembrogio; & quamvis apud Romanos ſervatæ fuerint Romanæ leges, hæ tamen non erant illæ a Juſtiniano in ordinem redactæ, ſed Epitoma quadam Codicis Theodoſiani, adiectis nonnullis e Gregoriano, Hermogeniano, Paulli

ſen-

ſententiis, Vulpiani regulis, & Gaii Conſtitutionibus, utebantur. Nec de aliis legibus Romanorum puto intelligendum eſſe Gottofredum in Prolegomenis Cod. Theodoſiani tom. 1. pag. CXCI. dum, ibi pluribus Caſſiodori teſtimoniis leges romanas viguiſſe, teſtatur ſub Theoderico. Jus tamen Canonicum ſub Karolo Magno valde floruiſſe, apparet ex Capitularibus ejus, ubi plura Sacrorum Canonum loca commemorantur; & præſertim in Capitulari II. anni DCCCII. relato a Baluzio tom. 1. col. 375. ubi nu. 2. hæc adſunt. *De Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus, ſi ſecundum canonicam inſtitutionem vivant, & ſi Canones bene intelligant, & adimpleant*. Quod etiam anno 774. ut legitur apud eumdem Baluzium col. 193. nu. XV. juſſum fuerat decernendo, ut ſi, qui Epiſcopi Canonum contemptores exiſterent, ab officio proprio ſubmoverentur: Et idem in aliis Capitularibus denuo præceptum, ut in lib. 7. eorumdem apparet nu. XVII. Nec minor Sacrorum Canonum cura ſub Karolo Calvo: nam continuò eorum reverentia, & obſervantia ſtatuta legitur; quouſque ſub XII. ſæculo canonici juris gloria increbuit, compilato corpore Canonum Pontificiorum, & Eccleſiaſtico-

co-

corum, studio Gratiani Bononiensis Monachi: quod Eugenius III. Pontifex Maximus in Scholis publicis, & generalibus tradi jussit; Tunc Theologiæ professores inter se distingui cœperunt nomine Canonistarum,& Theologorum, quod in Academia Ticinensi, ut in aliis evenisse credendum est.

Hoc etiam tempore,promotionum ritus ad legalem lauream initium habuit. Nam, licet aliqui putent, morem creandi Doctores primùm extitisse sub Augusto, a quo legem latam ferunt, ut si quis vellet jus profiteri facultatem a Cesare impetraret,ut post Corasium, M. Stephanum, ac Jacobum Midendorpium scribit Theodorus Hopingius de Jure Insignium cap.2. n. 598. tamen verior opinio est, nostrum promovendi morem institutum fuisse Lotharii temporibus, quum cœpit tradi jus civile: in qua sententia aliis relatis est laudatus Hopingius. Etenim Veteres satis habebant, ut quis Patroni munere fungi posset, apud Præsidem Provinciæ se *cohortalem* non esse, seu Apparitori Præsidis non obnoxium doceret; tum Antecessor a quo fuerat in jure instructus, illum juris peritiam callere jurabat; quod comprobat Guidus Panzirol. Thesaur. Var. Lection. lib. 1. cap. XXIII.

CAP.

CAP. XIII.

Authentica Habita Cod. Ne filius pro patre &c. in Campis Roncaliæ apud Padum a Friderico Ænobarbo rogata contra Lupoldum Bebembergium, atque Petrum Rebuffum. Roncaliæ Campi, & Imperatorum conventus in illis describuntur.

RΕstituta Parisiensis Academia ad vetustum decus a Lanfranco, ita postea floruit, ut sæculo XII. ingens Germanorum, & Italorum multitudo ad eam confluerct. Quare Fridericus Ænobarbus, ne ex Italia, & Germania Parisios peterent humanarum artium studiosi, eos insignibus Privilegiis ad Germaniæ, ac Italiæ Gymnasia anno 1158. Authentica Habita invitavit; quam hîc integram refero, ut ejus exordium, & caussam ab aliquorum falsis opinionibus vindicemus.

Habita quidem super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicum, & aliorum Procerum Sacri nostri Palatii examinatione, omnibus, qui caussa studio-

rum

rum peregrinantur Scholaribus, & maximè Divinarum, atque sacrarum legum Professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus exercentur studia literarum, tam ipsi, quam eorum nuncii veniant, & in eis securè habitent. Dignum namque existimamus, ut omnes bona facientes nostram laudem, & protectionem omnimodò mereantur: quorum scientia totus illuminatur Mundus, & ad obediendum Deo, & nobis ejus Ministris, vita subiectorum informatur, quadam speciali dilectione eos ab omni injuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti de divitibus pauperes semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & a vilissimis sæpè hominibus (quod graviter ferendum est) corporales injurias sine caussa perferunt.

Hac igitur generali, & perpetuò valitura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus injuriam inferre præsumat, nec ob alterius cujuscumque Provinciæ delictum, sivè debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat: scituris hujusmodi sacræ Constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Rectoribus,

ribus, qui hoc vindicare neglexerint restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum: notaque infamia eis ipso jure irroganda, dignitate sua se carituros in perpetuum. Verumtamen si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit hujus rei optione data Scholaribus, eos coram Domino, vel Magistro suo, vel ipsius Civitatis Episcopo (quibus hanc jurisdictionem dedimus) conveniat. Qui verò ad alium Iudicem eos trahere tentaverit, etiamsi caussa justissima fuerit, a tali conamine cadat. Hanc autem legem inter Imperiales Constitutiones scilicet sub titulo Ne Filius pro patre &c. *inseri jussimus*. Dat. apud Roncalias anno Domini M. C. LVIII. Hanc constitutionem a Friderico II. editam fuisse autumat Lupoldus Bebembergius in Opusculo de Zelo Veterum Germanorum cap. 3. in Bibliotheca SS. PP. tom. 26. pag. 92. ejusque est sententiæ Petrus Rebuffus de Privilegiis Scholasticorum lib. 3. in principio. Non tamen constat eorum opinio, quia anno 1158. non gerebat Imperium Fridericus II. sed I. quod assumpsit anno MCLII. ut notat Sigonius in Vita Friderici I. qui regnavit anno MCCXI. teste eodem Sigonio in Interregno Italiæ sub dicto anno. Tandem quum lata

fuerit

fuerit lex ista apud Roncalias, non potuit a Friderico II. rogari, quem non certum est egisse apud Roncalias solemnia Comitia. In alium quoque non levem errorem incidit Karolus Egassius Bulæus de Universitate Parisiensi tom. 2. pag. 278. qui allata Authentica Habita affirmat, eam latam non anno MCLVIII. ut sentiunt Gottofredus in Codice, Petrus Rebuffius in fine memorati lib. 3. Ioannes Oldendorpius, & Iohannes Bechmannus in Commentariis ad illam, sed anno MCLII. quo tempore nec Otho Frisingensis, qui accuratè scripsit de Rebus Gestis Friderici I. nec Otho Morena Scriptor illius temporis, neque Sigonius tradiderunt lata Comitia fuisse ab Imperatore Friderico I. apud Roncalias: solum enim circa annum MCLII. Cæsar fuit inauguratus, nec ante annum MCLIV. in Italiam venit, ut amplè testatur laudatus Otho Morena in Historia Rerum Laudensium tempore Friderici Ænobarbi Cæsaris pag. 9. his verbis. *Venit itaque Dominus Federicus in Lombardiam anno MCLIV. ab Incarnatione Domini mense Novembris indictione prima, hospitatusque est in die Mercurii, qui fuit secundo die Kal. Decembris, in quo fuit vigilia Sancti Andreæ Apostoli apud*

Sanctum Vitum de Castillione in lodesana, & ipso die venerunt Theutonici à prædictis Albergariis, & expugnaverunt Burgum Placentinum de Laude, in quo omnes alii Burgi simul convenerant: sed ipsi Laudenses tunc viriliter se defendunt. Sequenti verò die Iovis, in quo tunc fuit festivitas Sancti Andreæ, ivit prædictus Rex cum omni exercitu in Roncaliam. Est Roncalia ager inter Cremonam, & Placentiam, ut scribit Tristanus Calchus Historiæ Patriæ lib. 3. pag. 167. A. parum tamen distans ab Urbe Placentiæ; ut probatur ex Gunthero Ligurini lib. 2. edito inter Scriptores Germanorum Imperatorum ex Bibliotheca Justi Reuberi pag. 301. ubi de Roncalia ita canit.

Est locus Italiæ, modicum sejunctus ab Vrbe
Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia nomē,
Planus, & Eridani placido junctissimus amni
Effundit latos spatioso limite campos.

In hoc agro mos fuit Imperatoribus, ut ducto exercitu in expeditionem Italiæ ad sumendam coronam Imperii Romani, in Roncaliæ campis consisterent: teste Othone Frisingensi de rebus gestis Friderici I. Imperatoris lib. 2. cap. 12. & cap. 13. in fine: ex quo videtur hæc cecinisse Guntherus eodem loco.

Hic

Hic quoties claram Regnator tendit ad Vrbem
Teutonus, Ausoniam sumpturus ritè coronam
Ponere castra solet; ligno suspenditur altè
Erecto Clypeus: tunc praeco regius omnes
Convocat a Dominis pheudalia jura tenentes
Excubias Regi, prima celebrare fideles
Nocte, vetustorum debeant ex more parentum.
At quicumque domi, Domino nolente relictus
Defuerit, pheudo privari Curia censet.
Tunc quoque nonnulli censura vindice regni
Amisere diù tali, possessa, reatu.

Hinc ut omnibus notus esset Imperatoris adventus, ait Otho Frisingensis cap. 13. ubi Reges Italiam ingredi destinaverant, gnaros aliquos de familiaribus suis præmittebant, qui singulas Urbes, seu Oppida peragrando, ea, quæ ad Fiscum regalem pertinerent, quæ fodrum dicebantur, exquirerent. Quæ omnia exponit idem Guntherus eodem lib. 2.

Ductus ab antiquo priscorum tempore Regum
Mos habet, ut quoties regnator Theutonus Alpem
Transit, & Italias invisere destinat oras,
Qui repetant Fisco fiscalia jura Fideles
Per quascumque suos pramittere debeat Vrbes.
At quacumque ream se perfida fecerit ausu
Sacrilego, regique suo sua jura negarit
Strata luat meritas fraudato Principe pœnas.

Inde fit, ut fractis deformiter horrida muris,
Nunc quoq; per totam videas loca plurima terrã
Hoc quoque per cunctas Regnator Teutonus Vrbes
Non modo Teutonicas, sed & hic, vbique jacentes
Jus habet: ut præsens quasi maximus omnia judex
Claudere jure manu, cunctasque recidere lites
Debeat, atque omnis judex, omnisque potestas,
Atque Magistratus ipso præsente quiescant.
Ergo ubi Roncaliæ paucis residente diebus
Cæsare, fama loquax post tristia nubila clarum
Sydus, & ultorem violati juris adesse
Viribus, & populis circumtulit, undique multi
Conveniunt, properantque suas exponere causas,
Factaque multorum mæstis efferre querelis
Impunita diù: quos longo tempore tutas
Fecerat, & scelerum cupidos absentia Regis.

Convenit ergo in Campos Roncaliæ Fridericus Ænobarbus anno MCLIV. tertio Kal. Decembris, & anno MCLVIII. quo celebrem Conventum indixit in campis Roncaliæ *Solemnem Curiam* ad idem Sancti Martini, ut ageret de legibus, & pace regni; de quibus Otho Frisingensis lib. 1. cap. 46. ac Otho Morena pag. 37. Tuncque ad librum ultimum Feudorum plures addidit leges, quæ etiam leguntur apud laudatum Othonem Frisingensem eodem lib. 2. cap. 7. & rogavit Authen-

ticam

ticam Habita Cod. Ne Filius pro patre &c. Alia etiam Comitia tulit in iisdem campis anno MCLXVI. ut initio lib. XIV. de Regno Italiæ narrat Sigonius, in quo præcipuè disputatum inter Pisanos, & Genuenses de Regno Sardiniæ.

CAP. XIV.

Error Lupoldi Bebembergii de occasione ferendi Authenticam Habita, & Bulæi de occasione conventus Roncaliæ anni MCLVIII. Non pro sola Bononiensi Academia lata, sed pro cæteris omnibus Italiæ. Hoc tempore Langobardi legum peritissimi. Papiensium erga Fridericum merita, & officia. Friderici in Papienses beneficia, & privilegium de moneta. Fridericus Papiæ triumphans, & coronatus.

AUthenticam Habita Cod. Ne Filius pro Patre, latam a Friderico II. perperam, ut ostendimus supra, tradidit Lupoldus Bebembergius in opusculo de zelo veterum tom. 26. Bibliothecæ SS. PP. pag. 92. ubi etiam ad commodum, & laudem Gymnasii Parisiensis præsertim fuisse ab Impera-

peratore rogatam asseruit. Sed turpiter in hoc quoque erravit Lupoldus, quum pro Italicis Academiis ipsam Authenticam tulerit Cæsar; ut scilicet alliceret ad istas literarum studiosos, qui Occidentales Regiones incolebant, & ferè omnes ad Parisiensem convolabant, ut scribit Bulæus tom. 2. pag. 278. *Ut Scholasticos*, inquit, *& Italicos, Germanicos propositis præmiis, & privilegiis in suam Patriam retineret, qui peregrè ad Academiam Parisiensem ad capescendas liberales artes, & sacras disciplinas eorumdem privilegiorum spe proficiscebantur, atque ut, sic eorum parentes a partibus Adriani, & Gallorum, qui Adriano favebant averteret*. Etenim cum inter Adrianum, & Fridericum esset discordia, quod testantur amborum epistolæ apud Rodevicum lib. 2 de rebus gestis Friderici cap. 15. quem sequitur Baronius in Annalibus ad annum MCLVII. Ludovicus Rex Gallorum *accedebat Pontifici*. Propter hanc controversiam inter Adrianum, & Fridericum putat Bulæus pag. 277. fuisse actum conventum Roncaliæ anni MCLVIII. *Cui concertationi*, inquit, *occasionem dedit dissidium, quod Imperatori cum Adriano intercessit de quo ad annum superiorem diximus*; & in fine ejusdem paginæ addit. *In*

eo

eo consilio potestas Imperatoria unanimi consensu asserta est, Pontificia depressa Hoc tamen a veritate longè abesse videtur. Nam controversia inter Cæsarem, & Pontificem erat anno proximè superiore composita, teste Baronio sub hoc anno, dum adhuc erat in Germania Fridericus, quemadmodum docuit Sigonius de Regno Italiæ lib. 12. qui hæc evenisse docet sub initium anni MCLVIII. quo Fridericus rediit in Italiam ira percitus contra Mediolanenses. Qui tamen adventus Cæsaris neque evenit circa initium anni suprà memorati, sed circa finem scilicet mense Novembris, ut diximus cap. superiori teste Othone Morena coævo ipsius Friderici. Sentit idem Sigonius in Historia Bononiæ lib. 3. anno MCLVIII. *Authenticam Habita* fuisse præcipuè latam a Friderico pro Universitate Bononiæ. *Verum*, inquit, *supra omnia Civitatem auxit incredibilis juvenum ex toto Occidente juris Romani cognoscendi causa in Vrbem concursus, cujus tradendi quadam quasi officina ipsa erat effecta. Quorum commodis Fridericus eodem anno ad Roncalias, credo a Jurisperitis Bononiensibus admonitus consuluit lege lata, qua extat in Authenticis.* Quæ verba Seraphinus Ghirardaccius Sigonii nomine sup-

suppresso Italicè reddita transtulit in suam Historiam Bononiensem lib. 3. pag. 81. Attamen Fridericum rogasse Authenticam Habita, ut etiam faveret omnibus aliis universitatibus Italiæ, quæ tunc florebant, censendum est. Quum non soli Doctores Bononienses essent tunc Roncaliæ, sed alii viginti octo convenissent ex cæteris Italiæ Urbibus, quorum præcipui Obertus ab Horto Feudorum celeberrimus author, & Gerardus Cacapisti, & ipse in eadem materia clarus ambo Mediolanenses, teste Guido Panzirolo de Claris Legum Interpretibus lib. 2. cap. 14. Nec solum Gymnasium Bononiense tunc florebat in Italia, ut apparet ex Panzirolo cap. 21. ubi meminit de Mutinensi; & nos quoque cap. XII. supra meminimus de Pisano, & de aliis, quæ hic referre non est operæ pretium, cum ea jam descripserint *Iacobus Middendorpius de Iure Academico, & Karolus Antonius de Luca in Laurea Legali*. Idcircò quamvis consilio quatuor Doctorum Bononiensium Bulgari, Martini Grosiæ, Jacobi, & Ugonis de Porta Ravegnana, qui erant illo anno in Campis Roncaliæ cum Friderico teste Othone Morena in Historia rerum Laudensium pag. 38. fortasse permotus Cæsar legem illam rogarit, non tamen solum

pro

pro Scholaribus Bononiensibus illam promulgasse contra Cynum docuit Julius Ernestus Echrodter ad eamdem Authenticam n.2.quippe quum Bononiense Gymnasium solum anno MCLXII.visum sit excellere supra cæteras Italicas Academias in literarum studiis, si fides datur,ut certè danda est authori coævo Othoni Morenæ pag. 100. quo anno, & MCLXVII. secundum Sigonium de Regno Italiæ Fridericus in Bononienses graviter animadvertit. Hoc autem tempore Langobardi erant legum peritissimi, ut eos sub Imperio Friderici fuisse fatetur Guntherus in Ligurino lib. 2.

Gens astuta, sagax, prudens industria solers
Provida consilio, legum jurisque perita.

quorum carminum commentator Spiegelius addit plures extare eorum Codices MSS.. Cæterum licet de Scholis Papiensibus nulla apud Scriptores videatur facta mentio regnante Friderico Ænobarbo, tamen si publica Papiensis Academia fortasse corruerat, fuisse restitutam sub hoc Imperatore, & claruisse, sicuti sæculo superiori claruit, arguere possumus ex beneficiis, quæ in Urbem Ticinensem contulit Fridericus, & ex privilegiis, quibus omnes Italiæ Urbes facilè superavit: ut colligitur ex Othone Frisingensi,

ex

ex Othone Morena, ex Luithprando, & ex Rodevico in laudatis eorum operibus; atque clarius ex dictorum privilegiorum confirmatione, facta per Henricum Sextum anno MCLXXXXI. quam ego accepi ab humanissimo, & Patriæ, ac Literatorum amantissimo Cive, Comite *Ioseph Oppizzono*, qui unacum Marchione *Pio Bellisomo* gloriæ hujus Urbis studiosissimo meum adhæc animum appulit; eamque integram affero.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

HENRICUS SEXTUS DEI Gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, in perpetuum. Quanto majora, & clariora servitia cum omni fidelitate, & devotione Papiæ Civitas Serenissimo bonæ memoriæ Genitori nostro, ac Nobis, & Imperio frequentius exhibuit. Tanto ampliori gratiæ nostræ prærogativa, & honoris exhibitione, ipsam Civitatem, ejusque Rectores, atque totum Commune Civitatis, gratanter debemus honorare, fovere, & promovere. Eapropter cognoscant universi fideles Imperii

rii per Italiam constituti, præsentes, ac futuri, quòd Nos ex nostra Imperiali largitione, & munificentia Civitati Papiæ & universo ejus populo hanc gratiam, & hæc dona gratiæ concedimus, atque largimur, videlicet quod liceat Civitati Papiæ ad honorem Imperii, ac nostrum, & Civitatis, Consules de Communi, & Justitia, vel Rectores eligere intus Civitatem, & extra per totum ejus districtum. Qui Consules, vel Rectores Civitatis Papiæ, nobis, nostrisque successoribus, jurent fidelitatem, si illam non juraverunt. Et si in Lombardia erimus, a nobis Investituram, & confirmationem gratis petant, & recipiant. Et qui Consules habeant potestatem ante suam præsentiam duellum facere, minores restituere, ac venditionibus minorum, & emancipationibus auctoritatem præstare, similique modo adoptionibus, & donationibus ultra legitimam summam assensum, & auctoritatem præbere. Tutores quoque, & curatores dare, ac constituere, & de liberali, atque criminali causa cognoscere, ac judicare, & jus animadvertendi in facinorosos habere, & exercere, similiter & mulctare, ac jus publicandi habere, & publicare, & vindictam de omnibus maleficiis facere, & ban-

bannum dare, & pœnam, & de banno absolutionem facere. Atque judicaturas, & collectas, telonea, & pedagia, banna imponere, & tollere. Notarios quoque, cum non erimus in Lombardia, constituere: Ita tamen, quod illi, qui fuerint in nostra absentia facti, a nostra Majestate, cum erimus in Lombardia, recipiant confirmationem. Insuper quoque Imperiali auctoritate Civitati Papiæ concedimus, ut appellationes non excedentes summam libr. vigintiquinque Imperial. fiant ante Consules, vel Rectores Papiæ, qui inde possint cognoscere, & aliis delegare excedentes summam prædictam nostræ reservamus Majestati. Omnes etiam Jurisdictiones, quas unquam Dux in suo Ducatu, seu Comes in suo Comitatu, aut Marchio in sua Marchia habet, eidem Civitati Papiæ infra ipsam Civitatem, & extra in toto Episcopatu, Comitatu, seu districtu Papiæ, & specialiter in locis infranominatis, & eorum curtibus concedimus, & confirmamus. Conferendo quoque Imperiali munificentia Papiensibus nobis, & Imperio semper fidelibus omnes usus, & consuetudines, quas habent, vel temporibus Sereniss. quon. Patris nostri habere consueverunt, seu quas Rectores Papiæ cum consilio

cre-

credentiæ non contra leges ſtatuerint. Aliæ autem nullam habeant firmitatem, niſi noſtra fuerint factæ, vel confirmatæ auctoritate. Præterea concedimus, ut liceat Rectoribus Papiæ habere diſtrictum, albergariam, hoſtem, carregium, & omnes alias conditiones tam in Civitate, quam in ſuburbiis, & in omnibus Caſtellis, Villis, Plebibus, & ſuis hominibus, & in his omnibus locis, quorum nomina ſubſcripta ſunt, & infra coherentias locorum continentur. Illos quoque uſus, vel conſuetudines, quas Papienſes ſoliti ſunt habere in feudis, fictualibus, precariis, ruſticis, ac in illis, qui maleficia faciunt, eis illæſas conſervamus, atque concedimus, libellaria etiam, quæ ante ſententiam, & legem datam in Roncalia, ab Excellentiſſimo Piæ memoriæ Patre noſtro de feudis factæ fuerunt, ſic permaneant ſecundum veterem uſum, ſed de cætero abſque licentia Dominorum non fiant. Concedimus etiam fidelibus noſtris Papienſibus, & eorum Mercatoribus per totam Italiam cum rebus, & perſonis per aquam & terram liberè, & ſecurè ire, ſtare, atque redire, neque cogantur dare majorem guidam, vel tenſam, ſeu pedagium, niſi ſecundum bonum, & juſtum, ac veterem uſum. Poſſeſſiones, quoque jura, & allo-

allodia, feuda, atque ficta, quæ Papienses tenent, seu soliti erant tenere, possidere, vel quasi, communi nomine, vel singulari, deinceps sine molestatione aliqua teneant, & possideant. Insuper quoque concedimus, & confirmamus Civitati Papiæ, ejusque civibus omnia regalia, quæcunque sunt in Civitate, vel juxta Civitatem, aut extra in toto districtu Papiæ, secundum quod jam dictus Excellentiss. quon. Genitor noster eis concessit, vel habere permisit. Pontes verò, & ripas Ticini speciali munificentia eidem Civitati, ejusque civibus pleno jure, & omni integritate damus, ac Imperiali auctoritate concedimus. Statuentes itaque, ut nulli alii liceat pontem super Ticinum facere, seu habere a loco Plumbia usque Papiam, nec liceat alicui Castrum, Turrim, fossatum, vel aliquam munitionem in Episcopatu, seu Comitatu, vel districtu Papiæ facere, seu reædificare, atque habere, & specialiter Lomellum, vel in ejus curia aliquid, vel in alia nomine Lomelli nisi communi voluntate Papiæ. Item quoque concedimus, & mera liberalitate jam dictæ Civitati donamus, ut liceat Civitati Papiæ ducere flumina, & explicare, atque purgare, & alveos reficere, & ripas munire, videlicet. Ticinum,

num , Cadronam, Ollonam, Baronam, Misclam , Agoniam , Tardubium, Coironum , Stapholam , & omnes alias aquas , quas ipsa Civitas Papiæ ad suam utilitatem derivare potuerit . Præcipientes ut non liceat alicui Civitati vel loco, seu alicui personæ , vel aliquibus ipsa flumina, vel aquas avertere, vel imminuere, seu quoquo alio modo cursum impedire, vel impeditum retinere. Nomina vero locorum, de quibus superius mentionem fecimus, sunt hæc. Frasenetum, Ticinetum, Picetum, Mugaronum, Bassegnana, Sala, Coparia, Guazadoria , Casellum , Cagnanum , Medasinum, Viqueria, Albofasium, Altemasium , Returbium , Nazzanum , Rocca de Asisella. Fortunagum, Ruppinum , Durbecum , Lebardum , Pecoraria , Rocca Armerici , Monterossum , Golferentia , Suriascum , Montecalvum , Rovoscalla , Nigrinum, Mons dònicus , S. Martianus , Vlmum, Monticellus, Plebs de Palpanese , & Parpanese, Montalinum , Vigalonum , Montescanum , Figaria, Monsarcus, Zeneuretum, Clastegium , Montebellum, Mons Sanctæ Mariæ, Nibiolum, Montedondonum, S. Juletta, Petra , Cigognola , Mornicum , Monsaltus, Petra de supra Tanarum , Pagonum , Plebs portus Moroni, Cu-

Cugnolum, Miradolum, Sancta Christina, Genzonum, Zerenzagum, Villa lanterii, Monti, Castrum de Lambro, Mandrinum, Casaticum, Vernatum, Zibidellum, Corliascum, Binascum, Mettonum, Florianum, Casiragum, Bibianum, Besade, & Casolade, Viglevanum, Cassiolum, Cerredanum, Cillavegna, Pairona, Mortaria, Nicorvum, Cerretum, Castellum novum, Roxascum, Bagnolum, Langoscum, Cozium, Candia, Bremide, Sartirana, Lomellum, Leconche, Villanova, Frascarolum, Zebide, Sparveria, Gambarana, Carium, Plebs de Cario, & omnia alia loca terræ Papiæ. Hæc omnia concedimus Civitati Papiæ ad postulationes, & præces fidelium nostrorum Alberti de Summo Potestatis Papiæ, atque Uberti de Olevano, Syri Saglimbene, Gayferii Isimbardi, Gualfredi de Turricella, Guidonis de Codalo, Jacobi Bucefolis, atque Guideti Buttigellæ. Ad hæc statuentes jubemus, ut de cætero nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Comes, vel Marchio, nullus Potestas, vel Rectores, nulla magna, parvaque persona, prædictos fideles nostros Papienses, & eorum Civitatem de prædictis largitionibus nostris molestare, vel inquietare, aut disvestire præ-


sumat. Si quis verò hujus nostræ auctoritatis edictum violare præsumpserit, mille libras auri se compositurum cognoverit, dimidium Cameræ nostræ, & dimidium Communi ipsius Civitatis Papiæ. Hujus rei testes sunt, Gulielmus Ravennas Archiepiscopus, Millo Mediolanen. Archiepiscopus, Bonifacius Novariensis Episcopus, Albertus Vercellensis Episcopus, Theodoricus Comes de Hostat, Tranched. Comes de Cravina, Ubertus Comes de Blandrato, Robertus de Turno, Burcardus de Gerolte Secco, Henricus de Calendino Marescalcus, Henricus de Lutre Pincerna, & alii quamplures. Vt autem hoc verius credatur, & ab omnibus inviolabiliter conservetur, præsentem inde paginam scribi, & nostræ Majestatis sigillo injunximus præmuniri.

Signum D. Henrici Sexti Rom. Imperatoris Invictiss. Acta sunt hæc, ab Incarnatione Domini M.C.LXXXXI. Ind. X. Regnante D. Henr. Rom. Imper. gloriosiss. Anno Regni ejus vigesimotertio, Imperii verò primo. Dat. Mediolani 7. mensis Decembris.


Hinc apparet, nullam Urbem fuisse magis benemeritam de Friderico. Quod etiam testatur illud celebre privilegium datum huic


Ci-

Civitati, ut Langobardi solam Papiensem monetam signatam Imperatoria nota admitterent, teste Platina in Vita Lucii Papæ circa finem; & cujusmodi hæc fuerit, ostendit mihi vir satis eruditus in hoc nummo argenteo.



Cui nummo, alii duo accedunt Henrici, pariter argentei.





Hunc erga Papienses amorem Friderici, ac gratum animum fatentur quoque privilegia confirmata Comitibus de Laumello, Montisicalis, & de Gambarana, quibus etiam datum privilegium ferendi ensem coram Imperatore, quando erit in Lombardia, ut constat ex diplomate ejusdem Fiderici I. datum Papiæ apud S. Salvatorem anno MCLXIV. quod una cum aliis Friderici II. Karoli IV. & Maximiliani mihi communicavit amplissimus Senator, & Comes *D. Hieronymus Gambarana* Patriæ, literarum, & bonarum artium cultor, & Patronus eximius. Quinimmò sola Papia digna habita fuit, quæ hunc triumphantem reciperet Imperatorem, quod post Cremam subactam evenisse, scribit Sigonius anno MCLX. & anno MCLXII. post Mediolani eversionem. Factum hujus Cæsarei triumphi describit Guntherus lib. 3. Ligurini, cujus carmina omnino sunt referenda.

Inde profecturum Ticini læta juventus
Ad sua victorem divertere mœnia Regem
Flagitat, insignes antiquo more triumphos
Exhibitura Duci: non est in finibus, inquit,
Italiæ tanto locus aptior ullus honori,
Quemve tuo cupias magis illustrare triumpho,
Quam quæ fida tibi per læta, per aspera quæque
Ex-

Extitit, & nullo defecit tempore sedes.
Adde quod ista tua gessisti bella Papia.
Hostilem nostrisque malis inhiare paratam
Hostibus, & savis adstricto fœdere junctam.
Quid referemus ad hac? vertisti funditus Vrbem,
Non sumus ingrati: liceat modo solvere grates,
Ingressuque sui Regis gaudere Papiam.
Paret: & exhibitum non aspernatus honorem
Mœnia victor adit: non est tractabile sensu.
Eloquiove meo, qua gaudia, quantus ad Vrbem
Occursus populi, quo scilicet ordine Clerus
Vestibus ornati nitidis, preciosa ferentes
Signa crucis, textusq; sacros, thurisq; vaporem
Prodierint, ut purpureo velamine passim
Belligeros instratus equos fulgentia latè
Signa ferens? phaleratus eques fremebũda lupatis
Ora terat, cogatque leves subsistere cursus:
Vtque nurus, matresque simul, mitesq; puellæ
Candida Sidonio velatæ corpora textu
Gestantes nitido baccata monilia collo,
Fulvaque gemmatis incincta tempora cyclis
Vrbis utrumque latus densa statione tenentes,
Vocibus acclament faustis, dominumque salutent.
Vt domus aulais latè pandentibus omnis,
Et picturatis constrata platea tapetis,
Rebus odoriferis, & pingui thure vaporet:
Vt tuba terribili spiramine, tibia leni,

Cornua ventoso strepitu cava tympana rauco,
Seu lyra percussis dulci modulamine nervis
Murmure mirantes placido demulceat aures:
Vt pueri, populusque minor, venientibus ultrò
Exuvias substernat equis, paeanaque latum
Ioque triumphe canat: hæc omnia pluraque nobis
Si modo suppeterent vires, memoranda fuerunt
Deficit ingenium: non hæc fiducia menti,
Vt penitus meminisse velim, rerumque nitorem
Voce sequi: vix hæc stimulatus Apolline toto,
Vel Maro, vel magnus verbis æquaret Homerus.
Quid volui demens tantarum pondere rerum
Agresti tentare sono, tenuique Camæna?
Materiæ succumbit opus, mihi paupere vena
Verba fluunt: magnum res exigit ista poetam.
Comiter exceptum Sancti Michaelis ad ædem,
Qua veterum fulgent antiqua palatia Regum,
Producunt, nitidumque caput gemmante corona
Cingitur, & sceptro decoratur dextera sacro.
Hunc triduo Regi populus devotus honorem
Exhibuit largo cumulans nova gaudia sumptu.

CAP

CAP. XV.

Petri Danielis Huetii error notatur; XII. & XIII. sæculo viros eruditissimos floruisse in Italia, demonstratur.

PRivilegiis relatæ Authenticæ *Habita* literarum cultores invitantibus, ita in Italia postea floruerunt publicæ ſcientiarum Academiæ, ut Alexander Nechamus in lib. 2. de Naturis Rerum ſcripſerit, Pariſienſem Academiam Philoſophia, & Sacra Scriptura Italicis, Juriſprudentia autem Italicas Pariſienſi præcellere: quod in MS. ſervato in Bibliotheca Magdalenenſi apud Oxoniam ſe legiſſe teſtatur Brianus Tuvinus, quem ſequitur Bulæus Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſ. tom. 1. pag. 110. Quæ porrò Italiæ fama ita increbuit illo ævo apud exteros, ut omnes ad eam aecederent. Quod ut impedirent aliqui, contra juriſprudentiam inſurgebant, & ejus uſum in Clericis tanquam periculi plenum improbabant, ut apparet ex Petro Bleſenſi epiſt. 26. qui etiam epiſt. 140. ad Petrum Dia-

Diaconum scribit eum ad Theologiæ studium impellendo, ad quod excolendum satis esse Academiam Parisiensem frequentare, *nec esse necesse, prout ad jurisprudentiæ studium, trans alpes ire, aut Oceanum transmeare*. Et sanè ferè desertæ videbantur aliæ scientiæ: qua de re queritur Martinus Clericus apud Giraldum Cambrensem scribens, leges Imperiales reliquas scientias omnes suffocasse. Quod eò processit, ut ipsimet Monachi relictis claustris Legistarum Scholas frequentarent: Quod ne in posterum facerent, vetuit Alexander III. in Turonensi Concilio anno MCLXIII. hoc edicto: *Statuimus, ut nulli omninò post votum Religionis, & post factam in aliquo loco religioso professionem ad Phisicam, legesve mundanas legendas permittantur exire*. Hinc nescio, quomodo potuerit Petrus Daniel Huetius in libro gallico de Origine Fabularum Amatoriarum vulgò Romanzi asserere, circa sæculum XIII. scientiarum prorsus ignaram fuisse Italiam; etsi aliquod literarum specimen in ea vigebat, e Parisiensi Academia fuisse delatum. Nam perperam Huetius tantæ ignorantiæ insimulavit Italiam: quum certum sit, XII. & XIII. sæculo floruisse in Italia publicas Academias, ut

signi-

significavimus cap. superiori, rectèque observavit contra Huetium eruditus Joannes Marius de Crescimbenis Arcadiæ custos in Commentariis de Italica Poesi lib. 1. cap. 6. quibus publicis, & *universalibus* Scholis existentibus, non fuit necesse Parisios proficisci. Quinimmò ut amicissimi Viri scriptis aliquid addam, mihi non videtur prætereundum, quod anno Christi MCIC. floruit in Langobardia Papias ille vir græcè, atque latinè eruditissimus, teste Francisco Sansovino in Chronicis ejusdem anni: qui Papias vocabularium latinum primus condidit, ut legitur apud Georgium Matteum Konigium in Bibliotheca Veteri, & Nova pag. *606*. Hoc ævo insignis erat scientiarum cultu Monachorum Cisterciensium Ordo a D. Bernardo institutus, ad quos, ut tradit Neibridius a Mundeleim in Officina Antiquitat. Monastic. epist. 82. pag. 381. literæ, quæ diù inter Benedectinos viguerant, visæ sunt confugisse, septingentis enim Episcopis, & Abbatibus illustrem hunc Ordinem fuisse anno MCLXII. testátur Sigonius de Regno Italiæ lib. 13. sub anno MCLXI. circa finem XII. sæculi floruit pariter Guarinus de S. Victore, de quo epitaphium refert laudatus Bulæus pag. 742.

Gua.

Guarinus Abbas Romani Lucifer Orbis
Siderea fulget vivus in Vrbe lapis.

Fuerunt etiam illo tempore clari Guillelmus Papiensis, cujus elogium scripsit Saresberiensis epist. 233. ad Joannem Pictaviensem: Joannes Bossianus Cremonensis in Gymnasio Bononiensi Bulgari auditor, quem insignem Juris, Dialecticæ, & Philosophiæ peritia, cæterisque artibus eruditissimum vocat Panciro-lus de Claris Legum Interpret. lib. 2. cap. 23. & Sinibaldus de Flisco Genuensis postea Innocentius IV. Pontifex, qui Bononiæ sedulam adeo operam posuit in studio Juris Canonici, ut pater, & splendor Canonistarum diceretur teste Bulæo in Catalogo Viror. Illustr. tom. 3. Historiæ Universit. Parif. Nec ommittendus est Petrus Lombardus, de quo idem Bulæus tom. 2. pag. 766. ita scribit. *Petrus Lombardus tanta fama, & existimationis magister, natione Insuber, patria Novariensis, ex Academia Bononiensi ad Parisiensem se transtulit.* Immò sub initium sæculi XIII. tam pauci Viri docti vigebant in Parisiensi Acadamia, ut Parisiis publicè diceretur, nullos esse Viros literatos ex ea Urbe oriundos. Quare Ægidius Parisiensis artium magister operæ pretium duxit Apologiam pro Parisiensibus

sibus

ſibus magiſtris edere, quam inſcripſit Carolinum Opus in quinque libros digeſtum, quorum quinto ſexdecim enumerat Viros literatos Academiæ Pariſienſis alumnos, & inter alia ad Ludovicum Aug. filium, cui librum inſcribit, hæc canit.

. Fateor, ſcripſiſſe libellum
Francorum laudes, & Gallica geſta canentem
Ægidiana novos pro te prorumpit in auſus,
Primitiaſque ſui mittit tibi Muſa laboris:
Sed ſecura minus cum dira infamia noſtros
Iamdudum laceret Cives, oriſque maligni
Audeat immeritos communi inceſſere probro,
Quod nullos habeat Vrbs Pariſiana ſcientes.
Cum tamen excoctum multo ſudore Tibouldum
Artibus ediderit &c.

Hæc ineunte XIII. ſæculo ſcripſit Ægidius, quo tempore in plurimis Italiæ Urbibus, tam enixè ſcientiis dabatur opera, ut Bononienſis Academia opportunum duxerit juvenes, ne ad alias Scholas proficiſcerentur, novis ampliſsimis privilegiis allicere, quæ extant apud Sigonium in Hiſtoria Bononienſi lib. IV. ſub anno 1205. Quum tamen Eccleſiaſticis Ordinibus dicati ita legibus ſtuderent, ut prorſus ſtudium Theologiæ videretur eſſe deſertum, Honorius III. metu excommunicatio-

nis

nis proposito interdixit, ne Religiosi tam Regulares, quam sæculares ad Scholas Legum, & Medicinæ admitterentur, ut patet ex cap. super specula, ne Clerici, vel Monachi &c. qua de re jurisprudentiæ Schola minus frequentari cœpit, & illa juris Canonici & Theologiæ magis celebrari; in quibus scientiis quantum illicò profecerint Itali, innumeros testes proferre possemus, ex quibus fateri vel invitus deberet Huetius, Viros illos clarissimos, qui sub initium XIV. sæculi fulserunt in Italia, scientias non didicisse Parisiis, sed in Italicis Academiis: ubi iam sæculo superiori florebant scientiarum omnium Gymnasia, quod cum satis Viris Eruditis pateat, & probaverit Franciscus Petrarca in sua Apologia, finem his imponendum esse censuimus.

CAP. XVI.

Scholas Papienses a Karolo IV. non institutas, sed restauratas, ex ipso Caesareo diplomate probatur. Hinc Paulli Merulae, Laurentii Scraderi, & aliorum error refellitur.

POstliminio in Italiam revocatis omnibus scientiis tot Gymnasiorum institutione, quibus plures Urbes sæculo XII. & XIII. fuere exornatæ, Papiensis Universitatis gloria visa est imminui. His accesserunt intestina, & nobis proxima bella inter Guelphos, & Gibellinos, ac inter Vicecomites, atque Turrianos, quæ illis temporibus Langobardiam occupaverunt. Papiæ tamen hoc antiquissimum decus sepultum non jacuit, quia semper in ipsa literæ floruerunt etiam proximis sævientibus bellis, ut testatur Synchronus Petrus Azarius Novariensis in Chronicis MS. Bibliothecæ Ambrosianæ dono datis ab erudito Lazaro Augustino Cotta; qui Petrus Azarius sæpissimè de ingenti Scholasticorum frequentia ante annum MCCCLX. mentionem facit. Ex quibus convincitur error

ror Guidi Panziroli de Claris Leg. Interpret. lib. 4. cap. 1. asserentis, ante annum 1362. Papiæ Scholas pluribus sæculis fuisse incultas, cum appareat in ea scientias floruisse, licet fortassis splendor Academiæ deciderit, qui tamen illustrior emersit dicto anno 1361. Fuit hæc cura Galeatii Secundi Vicecomitis Ducis Mediolani literis, & armis illustris, qui Papia potitus Gymnasium Ticinense ad antiquum decus restituere, & privilegiis amplissimis exornandum curavit. Hic, teste Paullo Jovio in ejus Vita *Delectatus est in toto vitæ cursu, quum ex bellicis occupationibus subcisiva otia furaretur nobilioribus literis historiisque præsertim: habuitque in honore præstantibus disciplinarum omnium, & nobilium artium studiis insignes, ex hisque præcipuè Franciscum Petrarcam amœna ingenii fertilitate florentem, cujus hortatu Bibliothecam condiderat, quum munere beneficioque Karoli Cæsaris Ticini celebre Gymnasium instituisset.* Hinc putant Bernardinus Corius Historiæ Mediolanensis part. 3. Paullus Merula in Cosmographia part. 2. lib. 4. cap. 35. Laurentius Scraderus in Monumentis Italiæ lib. 3. pag. 354. & alii plures, Ticinensem Universitatem sola hac ætate fuisse institutam. Non

multa

multa tamen antiquitatis notitia, quod ad hanc rem pertinet, illos instructos fuisse, luculenter apparet ex toto hoc opere nostro, & ex ipso Karoli IV. diplomate, in quo cum agatur non de institutione, sed de instauratione Gymnasii, illud ex grammatophilacio Civitatis Papiæ extractum integrum lectori propono.

PRIVILEGIUM IMPERIALE

Pro Instauratione almi Gymnasii Ticinensis.

IN nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis fœliciter amen. CAROLUS QUARTUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Boemiæ Rex. Ad perpetuam rei memoriam. Rectrix humani generis virtutum cælestium mutatrix præclara scientia, cujus clara membra odiosa pestilentiæ rabies per mundi climata impia voragine jam assumpsit, tanto gemitu ad nos clamore confiditur, jam suis laribus a pœnosis habitaculis viduata, ut sibi dignemur Imperialis celsitudinis prœsidio subvenire, si quando provisione Cæsarea, cujus interest universo Mundo consulere in-

pristino statu florere valeat, & crescentem Mundum sustentare, & denuo fœcunda quadam aspergine germinis redimiri. Sanè honorabilium, & dilectorum nobis Potestatis, Capitanei, Consilii, Antianorum, Communis, & Populi Civitatis Papiensis nostrorum, & Imperii Sacri fidelium oblata nostræ majestati supplicatio continebat, quatenus ipsi ad instar aliarum Urbium *DE INSTAVRANDO GENERALI STVDIO* in facultatibus quibuscumque gratiam, & privilegium benignitate Cæsarea concedere dignaremur. Nos attendentes multiplicia merita probitatis, quibus antedicti Papienses Nos, & Sacrum Romanum Imperium retroacto jam tempore exquisita diligentia studiis honorarunt. Animo deliberato non per errorem, aut improvidè, sed sano Electorum, & aliorum Sacri Imperii Principum, ac eorum consilio accedente, ipsis, hæredibus, & successoribus eorum in perpetuum infrascriptam gratiam duximus faciendam; Ut in prædicta Civitate Papiæ generale studium utriusque juris videlicet tam Canonici, quam Civilis, nec non Philosophiæ, medicinæ, & Artium liberalium erigatur, & ex nunc perpetuis temporibus observetur. Quod quidem stu-

ſtudium ejuſque ſtudentes, nec non Rectores, Doctores, Bacalaureos, Officiales, atque miniſtros, famulos, & familias eorum, & cujuslibet eorundem, quocumque nomine cenſerentur, qui fuerint per tempora cujuſcumque, & dignitatis, ſtatus, ordinis, ſeu conditionis, prædicti, & ſinguli eorum extiterint, omni eo privilegio, libertate, immunitate, indulto, & gratia, quibus Pariſienſis, Bononienſis, Oxonienſis, Aurilianenſis, & Montis Pexulani ſtudia, ſeu alia quæcumque ſtudia generalia privilegiata noſcuntur, hujus noſtræ conceſſionis gratia perfrui ſemper volumus, & gaudere per omnia, ac ſi privilegium, libertas, immunitas, indulta, & gratia hujuſmodi præſentibus de verbo ad verbum eſſent inſerta. Decernentes, & hac noſtra conſtitutione Cæſarea perpetuis valitura temporibus, ex certa ſcientia de Imperialis poteſtatis plenitudine ſancientes, ut prædicto Civitas perpetua præſenti noſtra Imperiali conceſſione ſuffulta generalis ſtudii gratioſo privilegio perpetuò gaudeat, & utatur. Poſſitque Papienſis Epiſcopus, qui eſt, & qui fuerit pro tempore per ſe, vel ſuum Vicarium, ſeu Locumtenentem de conſilio, & conſenſu Doctorum, & Magiſtrorum ſtu-

dii memorati, ſervatis forma, modo, & ordine, qui in talibus conſueverunt in prædictis generalibus, & aliis ſtudiis laudabiliter obſervari, illis, quos ad hoc idoneos, & dignos invenerint, legendi indulgere licentiam, & ſtudioſo præmiſſo examine licenciare, & Doctoratus, ſive Magiſtratus inſignia ritè conferre, & de his ſolemniter inveſtire. Cæterum, ut Scolares, & ſtudentes quilibet ſtudii Papienſis prædicti tantò valeant liberius literarum ſtudiis inſudare, quantò a moleſtia, & turbationum impetu uberius liberati, & ampliori fuerint libertate, Cæſarea benignitate fulciti; de innata nobis clementia Rectores, Doctores, Scolares, ſive ſtudentes ejuſdem ſtudii univerſos, quoſcumque, & ſingulos eorum, & cujuslibet ipſorum familiares, famulos, & Miniſtros, nec non, & Scholas, domos, ſive hoſpitia in noſtram, & Sacri Romani Imperii protectionem, tutelam, & defenſionem recipimus, præſentibus ex certa ſcientia ſpecialem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ mentis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem contrarium attemptare præſumſerit, bannum Imperiale, & pœnam centum marcarum auri puri, totiens quotiens con-

contrafactum fuerit, eo ipso se noverit irremisibiliter incursurum, quarum medietatem Fisci Cæsarei, reliquam vero Universitatis studii Papiensis præfati usibus statuimus applicari, præmissis omnibus pæna soluta, sivè remissa, nihilominus in suo robore duraturis. ✠ Signum Serenissimi Principis, & Domini, Domini *Caroli IV. Romanorum Imperatoris Invictissimi, & gloriosissimi Boemiæ Regis*. Testes hujus rei sunt Illustrissimus Rodulphus Rex Saxoniæ Sacri Imperii Archimarescalchus, Ludovicus dictus Romanus Marchio Brandeburgensis ejusdem Imperii Supremus Camerarius, Venerabiles Arnesius Archiepiscopus Pragensis, Joannes Imperialis Aulæ Cancellarius Lutherusbensis, Joannes Olonnensis, Theodorinus Midensis, Paulus Frisingensis, Federicus Ratisponensis, Bertoldinus Estensis, Henricus Ludovicensis, Albertus Servecenensis, & Petrus Carbaniensis Episcopi, Illustres Ridarius Dux Brimicensis, Bolcho Dux Slesiæ, & Inligiensis, Picerubo Teschinensis, Bolbo Opaliensis, & Henricus Saginensis Duces spectabiles, Bocardus Magister Curiæ nostræ, & Joannes Burgarii Bagileburgensis, Ludricus, & Ludrinus Comites de Otinga, & Nob. Spingo lepus,

Rasco de Stcocatio, & Timo Caldrinensis Magistri Cameræ nostræ, & multi alii nostri, & sacri Imperii Comites, Nobiles, & fideles præsentes, & sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo testimonio literarum. Dat. Nuraburg. anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo primo, indictione quartadecima, Idus Aprilis, Regnorum nostrorum anno quintodecimo Imperii verò septimo; Subscript. per D. Cancellarium Nicolam de Trez, & per Joannem de Prusien.

Hoc Cæsareo diplomate restaurata Ticinensi Universitate a Karolo IV. Galeatio curæ fuit ejusdem diplomatis exequtionem curare hisce literis, quæ extant apud eumdem Azarium cap. XII.

GALEAZ VICECOMES
Mediolani &c. Vicarius Generalis.

CVM habeamus Studium in Civitate nostra Papia tam in jure Canonico, quam Civili, & in Medicina, & Physica, & Logica, habeamusq; ibi Doctores sufficientes, mandamus vobis, quatenus proclamari faciatis in Civitatibus vestris in locis consuetis, quod quilibet Scholaris debeat ad Civitatem nostram

Papia

Papiæ statim accedere sub pœna nostro arbitrio auferenda; & si qui ivissent ad aliena studia, statim mittatur pro eis, & compellantur venire Papiam; in ipsa enim Civitate Papiæ aquisivimus privilegia solemnia studii generalis cum potestate, & authoritate dandi conventum in Decretalibus, Legibus, & qualibet facultate. Datum Med. 27 Octobris.

Insuper ipse ædes Scholasticas excitavit, ac scientias quas tradi oporteret, præscripsit. Qua de re Stephani Breventani locum prodest transcribere. *Carlo Magno mandò Giovanni cognominato Scoto al studio di Pavia, il qual habitò nel Monastero di S. Pietro in Ciel aureo, dove poi morendo fu seppelito, & le Scuole all'ora erano sopra quella piazzetta, che si dimanda dal Lino, vicino alla Chiesa di S. Maria Perrone. Ma furono poi fatte molto magnifiche dalli Duchi Sforzeschi, dove al presente si veggono. Queste sono due stanze grandi contigue, da una sola parete separate, ciascuna delle quali ha un' ampio cortile co' portici d'attorno, con molte Scuole, e di sotto, e di sopra: in quelle de Legisti si leggono le seguenti letture. Di mattina due lettioni ordinarie di ragion Canonica, & una straordinaria, & quattro in Civile. Di sera poi una di Retorica trè*

dell' Instituta due di Canonico, & trè ordinarie del Civile, & una straordinaria: e queste i giorni feriali. I giorni poi di Festa la mattina si legge una lettione delle Attioni. Nelle Scuole degli Artisti si leggono di queste materie seguenti. Di Theorica ordinaria la mattina due lettioni, di straordinaria due, di Sacra Scrittura una, di Teologia Scolastica una, di Filosofia ordinaria due, di straordinaria due, la sera di Logica trè, di pratica di Medicina ordinaria due, di straordinaria due, de simplici una, dell' Almansore due, e di Greco una. Galeacio post Barnabam successit Joannes Galeacius, qui ad cultum Gymnasii insignes Professores conduxit, & Bibliothecam exquisitissimis codicibus locupletavit: quæ, ut narrat Laurentius Pignorius epist. 15. pag. 57. anno 1500. translata fuit in Galliam. Ex Illustribus Professoribus hos enumerat Jovius in ejus Vita. *In jure civili Baldus, & duo Raphaeles Fulgosius, atque Comensis, & Segnorolus Amedeus. In philosophia Vgo Senensis, & Blasius Pelacanis a Parma, cujus etiam extant in Astronomicis disciplinaque Optices subtilissima quaestiones. Tres quoque Medici, Marsilius a Sancta Sophia, Syllanus Niger, & Antonius Vacca. In tradendis autem Graca lingua*

pra-

praeceptis eminebat Emanuel Chrysoloras Bizantius. Sed supra Doctores omnium disciplinarum erat conspicuus Petrus Philargus sacrarum literarum Interpres, qui postea Pontifex evasit anno MCCCCIX., & Alexander V. est appellatus, quem probavit eruditus, atque amicissimus meus, Lazarus Augustinus Cotta in Musæo Novariensi, Novariensem fuisse ex pluribus Synchronis authoribus; licet author illius æqualis Monachus SanDionisianus in Spicilegio Lucæ Dacherij tom. 6. pag. 254., Græcum faciat his verbis. *Sanè sanctæ conversationis, ac devotionis virum Petrum de Candia Ordinis Fratrum Minorum in sacra pagina excellentissimum professorem de Archiepiscopatu Mediolanensi ad Cardinalatum assumptum, quem sciebant ex Candia Græcia remotissima insula, & ex ignota prosapia ortum, cui nec opum acervi, sed tenuis facultas res etiam familiares ministrabat, in Summum Pontificem elegerunt.* Cujus Petri Philarghi cathedræ, quæ erat Theologiæ, præest nunc, maximæ humanitatis, & spei Vir *Pater Franciscus Pertusatus filius D. D. Lucæ Pertusati* Excellentissimi Senatus Mediolanensis Præsidis vigilantissimi, ac Supremi literarum Patroni.

CAP.

CAP. XVII.

Papiense Gymnasium a Karolo IV. restauratum, a Bonifacio IX. Pontifice Maximo confirmatur; & a Ludovico Maria Anglo novis privilegiis illustratur.

POst instaurationem Gymnasii, ut diximus, factam anno MCCCLXI. a Karolo IV. Dux Mediolanensis edixit anno MCCCIIC. ut Scholæ transferrentur Placentiam, quod edictum extat in volumine Antiquorum Ducum Mediolani Decret. pag. 223. Capitaneo Justitiæ Dux Mediolani &c. Papiæ, & Virtutum Comes. *Certis moti respectibus ordinavimus, quod studium nostrum Papiense ad Civitatem nostram Placentiæ se transferat indilatè: idcircò volumus, quod statim per Civitatem nostram Mediolani publicè in locis consuetis proclamari facias, quod omnes Doctores in studio nostro Papiensi prædicto legere soliti ad ipsam nostram Civitatem Placentiæ se absque mora transferant; Scolares verò juribus audire, & studere consueti, nec non, qui de novo ad studium generale ire volunt ad præ-*

præfatum nostrum studium Placentiæ se conferant. Præterea etiam per ipsam Civitatem proclamationes fieri faciatis, quod non sit aliqua persona nobis subdita cujusvis status, gradus, & conditionis existat, quæ audeat, vel præsumat ad aliquod studium generale extra nostrum territorium ire, sed uti audire disposuerint, & studere in studio generali ad memoratum nostrum studium Placentiæ se transferant sub pœna cuilibet contrafacienti haveris, & persona juxta decreti nostri alias super hoc conditi formam, & tenorem, quod de novo confirmantes per harum seriem inviolabiliter observari jubemus. De receptione præsentium, & prout feceritis, nobis vestris literis intimando. Dat. Melegnani die XXVIII. Octobris MCCCIIC.
Non fuisse tamen executioni mandatum hoc decretum apparet ex confirmatione ipsius Gymnasii Papiensis, quam Galeacius obtinuit anno sequenti a Bonifacio IX. Pontifice Maximo, qui annus fuit primus Pontificatus ejusdem, & Æræ Christianæ MCCCIC.

BONIFACIUS Episcopus Servus servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam. In supremæ dignitatis Apostolicæ specula licet immeriti disponente Domino constituti, ad universas fidelium regiones nostræ vigi-

lantiæ

lantiæ creditas, earumque profectus, & commoda tanquam universalis gregis Dominici Pastor nobis commissam speculationis aciem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes fidelibus ipsis ad quærenda literarum studia, per quæ divini nominis, suæque fidei Catholicæ cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quam privata res geritur utiliter omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter favores gratiosos impendimus, & opportunæ commoditatis auxilia liberaliter impertimur Cum itaque, sicut nuper pro parte dilecti filii nobilis Viri Galeazii de Vicecomitibus Comitis Virtutum in Mediolanensi, & Papiensi Civitatibus Imperialis Vicarii fuit nobis expositum, ipse Comes non solum ad utilitatem, & prosperitatem hujusmodi Reipublicæ, ac incolarum prædictæ Civitatis Papiensis, sed & aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens in eadem Civitate Papiensi, loco utique ad hoc accomodo, ad modum, & idoneo, desideret plurimum esse studium authoritate Apostolica generale in qualibet facultate licita, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, æquitas servetur, Judicis crescat ratio, & intellectus hominum augeatur. Nos præmissa,

missa, & etiam eximiam fidem, quam ipse Comes ad Nos, & Sanctam Romanam Ecclesiam gerere dignoscitur, attentè considerantes ferventi desiderio appetimus, quod Civitas Papiensis, & partes prædictæ scientiarum muneribus amplientur, ut viros producant Consilii maturitate perspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum facultatum dignitatibus eruditos: sitque, ibi scientiarum fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis. His igitur omnibus, & præsertim idoneitate dictæ Civitatis Papiensis, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina salutaria producenda, inter cæteras Civitates Provinciæ Lombardiæ valde congrua, & accomodata fore dicitur, diligenti examinatione pensatis, non solum ad ipsarum Civitatis Papiensis, & Provinciæ, ac circum adjacentium regionum incolarum, sed etiam aliorum, qui propterea de universis Mundi partibus Civitatem confluent ad eamdem, commodum, & profectum studio paternæ solicitudinis anhælantes, devotis dicti Comitis in hac parte supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica præsentium tenore statuimus, & etiam ordinamus, ut in dicta Civitate

tate Papiensi de cætero sit studium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat in sacra pagina, Jure Canonico, & Civili, nec non in medicina, & qualibet alia literaria licita facultate, & quod docentes, legentes, & studentes ibidem, omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis concessis Doctoribus legentibus Magistris, & Scolaribus, & præsertim in eadem sacra pagina in Bononiensi, & Parisiensi studiis commorantibus, gaudeant, & utantur. Quodque illi, qui in processu temporis bravium meruerint in illa facultate, in qua studuerint, obtinere, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant ad Doctoratus, seu magisterii honorem petierint elargiri per Doctorem, seu Doctores, aut magistrum, seu magistros illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Episcopo Papiensi, qui pro tempore fuerit, aut alteri, qui per eundem Episcopum, vel Ecclesia Papiensi vacante illi, vel illis, qui per dilectos filios Capitulum ejusdem Ecclesiæ deputatus, vel deputati fuerint, præsententur; Idemque Episcopus, vel deputatus, seu deputati hujsmodi, ut præfertur Doctoribus, & Magistris in eadem facultate actu inibi legentibus convocatis, illos in his, quæ circa promo-

promovendos ad doctoratus, seu magisterii honorem requiruntur per se, vel per alium juxta modum, & consuetudinem, qui super talibus in Bononiensi, & Parisiensi prædictis, & aliis generalibus studiis observantur, examinare studeat, seù studeant diligenter: Eisque si ad hoc idonei, & sufficientes reperti fuerint, hujusmodi licentiam tribuat, seù tribuant, & Doctoratus, seù magisterii honorem conferat, seu conferant. Illi verò, qui in eodem studio Papiensi examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem hujusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine, & approbatione alia regendi, & docendi tam in prædicto Papiensi, quam in singulis aliis generalibus studiis, in quibus voluerint regere, vel docere, statutis, & consuetudinibus quibuscumque contrariis Apostolica, vel quacumque firmitate alia vallatis nequaquam obstantibus, plenam, & liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum XVI. Calend. Decembr. Pontificatus nostri anno primo. *Cum signis, & sigillo plumbeo, ut inspicitur apud Papiensem Cancellariam ex qua secundum autographum fuit mihi communicatum hoc diploma, quod ad hac usque tempora servatur, quibus Papiensi Ecclesiæ praeest* Eminentissimus Cardinalis Jacobus Antonius Morigia, *morum, & literarum in præsenti temporum calamitate firmum præsidium.*

Hisce privilegiis, & diplomatis accedit aliud Ludovici Mariæ Angli, quod mihi humaniter suppeditavit Vir Patriæ laudis studiosissimus J. C. Joseph Parodius.

Ludovicus Maria Sfortia Anglus Dux Mediolani, Angleriæque Comes, ac Genuæ, & Cremonæ Dominus. Illas Civitates merito exornandas ducimus, & ea clarissimorum virorum Collegia honoribus prosequenda, dignum esse censemus, ex quibus viri in omni disciplinarum genere eruditissimi prodeunt, inter ceteras nostras fœlicissimas Civitates Regia Urbs Papiensis ad hanc rem nata esse videtur, tum loci commoditate plurima, tum siderum benignissimo influxu, ex qua ad omne sapientiæ genus tam divinum, quam humanum in dies viri præstantes progrediuntur;

quam

quam rem non Italia modo testatur, verum etiam externi Reges, universæque Respublicæ ornamentum, quietem; atque emolumenta plurima ex hac nostra Urbe sentientes, publico testimonio affirmant, decernimus ejusdem nostræ Ticinensis Urbis Collegia Jurisconsultorum, & Medicorum, qui in primis illustrant, & ornant Urbem ipsam, & quorum auctoritate, & consilio sæpissime nos ipsi, & Illustrissimi Antecessores nostri usi sunt, & ex quibus tantum commodi publici, ad nominis etiam nostri splendorem in dies accedit, quique non minus pro Republica militant, quam qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, nedum illis privilegiis, commoditatibus, exemptionibus, ac immunitatibus, quibus jure communi, & statutis ipsorum Collegiorum, & utriusque eorum per Antecessores nostros confirmatis indubie cognoscimus eis competere, gaudereque digno conservationis, deffensionisque favore amplecti, atque prosequi, prout per præsentes eisdem competere, gaudereque declaramus, & ea statuta confirmamus, & approbamus, verum etiam liberalissimis muneribus condonare, ut Doctores ipsi magis aliciantur eorum studiis incumbere, & alii eorum exemplo in-

ducti ad ea ſtudia libentius confluant, ipſorumque Doctorum ordinibus diligentia aggregari procurent. Tenore igitur præſentium, ex certa ſcientia, motu proprio, & de noſtræ plenitudine poteſtatis prædictos Doctores, omnes, & ſingulos utriuſque Collegii Papien. ſeu alterius eorum, Juriſconſultorum ſcilicet & Artiſtarum, Philoſophorum, & Medicorum, qui ſunt, & per tempora erunt in infinitum cum omnibus ejuſdem familiæ, ſeu de eorum familia ſimul in communione habitantibus, ad unum panem, & vinum pro eo tempore quo ſimul cohabitabunt, & donec tales Doctores erunt in humanis, ac Cancellariis Collegiorum, & eorum Bidellis generalibus, & ſpecialibus exemptos, & immunes facimus, a quibuſcunque collectis, talleis, taxis, præſtitis, mutuis, ſubſidiis contributionibus, functionibus, Andatis, plauſtris, ſuperindictis, Navigiis, Angariis, & Perangariis, Hoſpitationibus. & aliis quibuſcunque oneribus, & poſitionibus qualiacunque ſint, & quibuſvis nominibus onera ipſa nuncupentur, realibus, etiam pro bonis alibi ſitis, & ubivis jaceant, ac ubivis jacere contingant in futurum, realibus, perſonalibus, & mixtis, tam impoſitis, quam de cætero imponendis, quomodolibet,

&

quavis ex causa, tam cogitata, quam incogitata, tam per nos, & Cameram nostram Ducalem, & Commitalem, aut ejus Offitiales, quam per Communitatem Papiæ, & aliam quamvis Communitatem, vel universitatem, vel personam etiam tempore Guerræ, aut Pestis, reservatis semper Datiis ordinariis, onere salis, & quibuscumque aliis ordinariis oneribus, ad quorum solutionem, & contributionem teneri volumus. His modo, & forma, prout de præsenti contribuunt, & solvunt, & prædicta omnia non obstante l. vacuatis. C. de Decurionibus lib. 10. & l. nec damnosa C. de precibus Imper. offer. & aliis quibuscunque juribus, etiam si talia forent de quibus opporteret fieri specialem mentionem, & in individuo. Mandantesque ut nullo modo, & ingenio, nullaque Arte, aut Allegatione prædicti Doctores, nec eorum aliquis graventur, requirantur, molestentur, & quomodolibet inquirentur in prædictis, nec in aliquo prædictorum onerentur, sed ab ipsis omnibus immunes, ac liberi, & exempti præserventur, & demum ut uberioribus privilegiis, intelligant se a nobis condonari, volumus etiam, & decernimus, ut tractentur, & præserventur in omnibus, & per omnia prout venerabile Me-

diolanense Collegium Jurisconsultorum, & toto Orbe nominatissimum præservatur, & tractatur, quia volumus præf. Doctores utsupra, eorumq; bona, & omnia utsupra immunes, & immunia præservari, & tractari utsupra, volentes etiam, & ita declaramus, quod aliqui ex offitialibus, & subditis nostris qualescumque, & cujusvis Dignitatis, & Præminentiæ auctoritatis, & conditionis existant contra prædictos Doctores, nec eorum bona respectu dictorum onerum extraordinariorum, & circa prædicta onera contra eos, se aliqualiter valeant impedire, nisi ad conservationem horum privilegiorum, & immunitatum, & si quid ex adverso contingerit contra prædicta fieri, id nullius roboris, & momenti esse decernimus; volentes etiam si contigerit eos, vel aliquem eorum, & utsupra delinquere, & seu deliquisse imputari, tam per privatam, seu publicam quamvis personam, seu etiam per Cameram nostram, vel aliter etiam pro interesse Cameræ nostræ criminaliter, & seu ex quo, quavis pœna tam personalis, quam pecuniaria seu mixta, tam Cameræ nostræ, quàm alicui privatæ personæ, seu publicæ veniret imponenda, quod extra eorum Civitatem, scilicet jure actionis, vel offitio

Ju-

Judicis, vel conditione ex lege, vel consuetudinis, vel statuti, quod extra eorum Civitatem, & Judicem ordinarium extrahi non possint, pro quovis nomine, & ut supra Crimine Lesæ Majestatis tantum excepto, sed volumus, quod per ordinarium tantum eorum contra eos procedatur, & non per alium. Declarantes si quid contra fiet, aut mandari contingerit irritum, & innane: demum vero mandamus quibuscumque Consiliariis nostris, Magistris Intratarum utriusque Cameræ nostræ, & quibuscumque Magistratibus, & Offitialibus, ac omnibus Datiariis, portunarijs, ac universis, & singulis offitialibus, & subditis, ac etiam Capitaneis, & gentibus nostris armigeris præsentibus, & futuris; Quatenus has nostras literas, & omnia in eis contenta, ac earum substantiam firmissimè, & inviolabiliter, ac precisè, & ad corticem, & sine ulla sinistra interpretatione, & conditione observent, & totaliter observari faciant, & quod nunquam præsentes literæ nostræ, & in eis contenta intelligantur ruptæ, aut revocatæ, vel eis fore derogatum, vel diminutum in aliqua earum parte quovismodo ex generalibus, vel etiam ex specialibus literis, ordinationibus, decretis, mandatis nostris, vel consilii nostri, vel offi-

officialium nostrorum, vel alia quavis occasione, nisi præsentes literæ cum earum tenore, & de verbo ad verbum prout jacent expressæ fuerint in ipsis literis, decretis, ordinationibus, & mandatis nostris in contrarium emanatis, cum quibusvis clausulis derogatoriis, quia mentis nostræ est, velle suprascripta omnia præf. Doctoribus, & utsup. inviolabiliter perpetuò, & precisè observari, & observari facere, & in nullo contravenire; supplentes de nostræ plenitudine potestatis, & absolutè, & omni modo, quo validius possumus omni deffectui cujuslibet solemnitatis, tam juris, quàm facti, vel alicujus consuetudinis, vel statuti, aut Decreti, quæ dici, aut excogitari posset in præmissis, vel aliquo prædictorum intervenire debuisset: denique volumus, quod in istis literis nostris, & in qualibet earum parte intelligantur appositæ, & insertæ omnes illæ clausulæ opportunæ, ac expedientes pro majori robore, & firmitate præsentis Concessionis, & Privilegii, quæ apponi, & interseri possent, & quo major, amplior, efficacior, & validior esse possit, & ut omnes intelligant, quod ita omnino fieri volumus, & præcisè omni tempore observari præsentes literas nostras propria manu subscripsimus, injungentes quoque, & strictè

ſtrictè mandantes omnibus, & ſingulis ſuperius nominatis, & expreſsis præſentibus, & futuris, quatenus non audeant, nec præſumant quidquam contra diſpoſitionem, & effectum harum literarum noſtrarum temptare, aut temptari, vel agi permittere directè, vel indirectè, aut aliquo quæſito colore, ſub indignationis noſtræ pœna. In quorum teſtimonium præſentes fieri juſſimus, & regiſtrari noſtrique Sigilli impreſſione muniri. Dat. Mediolani die 19. Januarii 1496. Signat. *Ludovicus Maria*, & ſubſcripta Albertus.

Hæc ſunt, quæ hucusque de inclyto Gymnaſio Ticinenſi congerere potui: fortaſſis alia ſequentur: Tu lector humaniſſime interim Vale.

FINIS.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A

B

C

D

E

F

Fri-

O

P

R

S

T.

AU-

AUTORUM
CATALOGVS,

Qui in hoc Opere laudantur, vel confutantur.

A

B

Bach-

C

D

Echrod-

E

F

G

H

In-

I

K

L

M

Nau-

N

O

P

R.

S

FINIS.

Autoris errata sic corrige.

Pag. 7	linea 25	subiugaveribus	subiugaverimus
10	19	effoso	effosso
16	5	amphiteatrum	amphitheatrum
19	8	imperti	imperii
24	6	se se	sese
41	18	duo Parisiis	duo Parisios
46	4	de Parisiensis	de Parisiensi
48	4	in curia	incuria
48	26	vel Ioannes	an Ioannes
71	12	Papirium	Papyrium
77	23	octuagesimum	octogesimum
78	3	saltim	saltem
86	4	presbiter	presbyter
88	3	ducentum	ducenti
93	9	egum	Legum
96	5	rogata contra	rogata ; contra
120	12	pondere	pondera
121	22	aecederent	accederent
124	24	Acadamia	Academia
129	25	proesidio	præsidio
136	15	professores	professores
147	21	inquirentur	inquirantur

GYMNASII TICINENSIS HISTORIA, ET VINDICIÆ

AB

Initio Sæculi V. usque ad finem XIV.

AUCTORE

ANTONIO GATTO

DERTHONENSI

Publico Juris Civilis Interprete in eodem Gymnasio.

AD

EXCELLENTISSIMUM

SENATUM

MEDIOLANENSEM.

ROMÆ, Apud Petrum Oliverium, MDCCIII.

Superiorum permissu.

[illegible]

[illegible] ACTUEL

[illegible]

SYNOPSIS
Totius Operis.

CAP. I.

SItus, & origo Urbis Ticinensis. Blondi, ac Genebrardi de ejus antiquitate sententia rejecta. Ejusdem Urbis diversa nomina. A Karolo Magno *clarissima* appellata.

CAP. II.

Quando Ticini nomen fuerit mutatum in Papiam, ac de hujus etymologia variæ sententiæ. Papia Romanorum Colonia ex numismate M. Aurelii à Tristano non benè explicato. Familia Papia ex Lanuvio orta contra Peregrinum. Hinc Tribus Papia, & leges Papiæ. Papia familia viguit recentioribus sæculis in Langobardia. Papias officium celebre.

CAP. III.

Urbs Ticinensis perpetua sedes Regum Langobardorum; ibi Thermas, Amphiteatrum, &

magnificum Palatium extruxit Theodericus, quod deinde dictum *Civitatula*, & *Regia Ticina*. Notabilis lapsus P. Eustachii à S. Ubaldo apertè refellitur.

CAP. IV.

Scholæ Ticinenses sub Boëthio floruerunt. Sacci, Bellovacensis, & Vossii de primo anno Episcopatus Ennodii opinio reiicitur. Ennodius Ticini magistrum gessit: ejusdem locus explicatus contra Sirmondum. Studium Epiphanii Ticinensis Episcopi pro restaurandis moribus, & scientiis.

CAP. V.

Petrus Pisanus in Urbe Papiensi Magister Parisios accitur à Karolo Magno. Ante hujus adventum in Italiam florebant Papiæ liberales artes; ibique celebris disputatio Petri Pisani cum Julio Judæo. Jo. Albinus Scotus Papiam mittitur à Karolo Magno, ut sublimiores scientias doceret, hocque pluribus antiquis Scriptoribus comprobatur.

CAP.

CAP. VI.

Monachum Papiam missum à Karolo Magno, nomine Jo. Albinum fuisse confirmatur. Sangallensis, ac plures alii Historici veteres illustrantur.

CAP. VII.

Adventum Jo. Albini Papiam contigisse circa annum DCCLXXX. ostenditur, & contrariæ sententiæ confutantur.

CAP. VIII.

Petrus Pisanus, è scholis Papiensibus in Galliam vocatus à Karolo Magno primus Parisiensis Studii Institutor. Papienses scholas illis sæculis non Episcopales, seu Cœnobiales, sed publicas, & universales fuisse statuitur.

CAP. IX.

Monasterium S. Augustini Jo. Albino à Karolo Magno assignatur ad docendum. In ipso Monasterio aderant Benedictini ante Karolum Magnum. Canonicis Regularibus in eodem locus datus ante annum MCCXXII. contra P. Mabillonium: ibique Apparitio S. Augustini Canonico Regulari sub x. sæculo.

CAP.

CAP. X.

Scholas Papienſes fuiſſe erectas in publicam Academiam cum privilegio Karoli Magni, & Lodovici Pii conjecturæ. Synodi vj. Eccleſiæ Gallicanæ de ſcholis locus expenditur, & Cironii, ac Thomaſſini opiniones circa ejus rectam intelligentiam refelluntur. Sangallenſis hiſtoria à Launoii cenſura vindicatur, & ipſe plurimorum errorum apertè convincitur.

CAP. XI.

Karoli Calvi erga ſcientias ſtudium, & amor. Omnia Papienſibus confirmat privilegia. Papia ab Hunnis incenſa, ſed non deſtructa contra Frodoardum, & Hugonem Flaviniacenſem. Celebris diſputatio coram Othone II. inter Otricum, & Gerbertum anno CMLXXXXV.

CAP. XII.

Lanfrancus Papienſis Magiſter omnium ſuæ ætatis doctiſſimus Pariſienſes ſcholas à Petro Piſano inſtitutas reſtaurat ſub anno MXXX. Papiæ Alexandrum II. Pontificem Maximum diſcipulum habuit.

CAP.

CAP. XIII.

Auth. habita Cod. *ne filius pro patre* in campis Roncaliæ apud Padum à Friderico Ænobarbo rogata contra Lupoldum Bebembergium, atque Rebuffum. Roncaliæ campi, & Imperatorum conventus in illis describuntur.

CAP. XIV.

Error Bebembergii de causa ejusdem Authenticæ, & Bulæi de causa conventus Roncaliæ anni MCLVIII.. Non solius Bononiensis Studii intuitu lata *Auth. habita*, sed omnium totius Italiæ Studiorum. Hoc tempore Langobardi legum peritissimi. Papiensium cum Friderico merita, & officia. Friderici in Papienses beneficia, & privilegium de moneta. Fridericus Papiæ triumphans, & coronatus. Huetius erroris notatur.

CAP. XV.

Scholas Papienses à Karolo IV. non institutas, sed restauratas ipso Cæsareo diplomate probatur: hinc Corius aliique falsitatis convicti.

FINIS.

IX
GATTI
de Gymn. Tic.

GATTI
de Gymn. Tic.

DE GYMNASII TICINENSIS HISTORIA

TESTIMONIUM

IN ACTIS

Eruditorum Lipsiæ mensis Septembris An. MDCCIV.

Plag. 5. pag. 594.

GYMNASII TICINENSIS HISTORIA, & Vindiciæ à sæculo V. ad finem XV. Authore Antonio Gatto in eod[em] Gymnasio Antecessore. M[e]diolani Typis Josephi Pandulphi Malatestæ 1704. 8.

QUæ in Karoli Antonij de Luca Melphitani libro, laurea legalis inscripto, & recensionem omnium ferè publicarum Academiarum complexo, ignotum quo fato, quave incuria, prætermissa planè est Gymnasii Ticinensis, siue Academiæ Papiensis historia, eam nunc ab oblivione vindicatam vir omni eruditione præditus Antonius Gattus, Mediolani una cum vindiciis quibusdam typis evulgavit, non exiguo rei literariæ emolumento. Professos esse in eo om-

nibus sæculis viros cujuslibet scientiæ clariores Karolum illum Antonium de Luca velut Ictum eo minus latere potuisse Gattus commonet, si modo ipsi noti Baldus, Præpositus, Jason, Decius, Curtij, Gallaratus, Tornielli, Tortus, Costa, Menochius, Merenda, Ramos, Pecchius, & alij plurimi, qui jus civile in Ticinensi Schola publicè docuerunt. Equidem Operis difficultas ipsum quoque Gattum facilè primum absterruerat, partim quod antiqua Universitatis, & Urbis monumenta undique perquirenti, post depopulationem Urbis initio XVI. sæculi omnia interiisse referebant: partim, quod ex veteribus Italorum, & Gallorum scriptoribus soli Saccus, Breventanus, Spelta, & alij posterioris ævi Historici offerebantur. Ast quum sors inopina Romam Gattum perduxisset, cum Justus Fontaninus celebris Bibliothecæ Cardinalis Josephi Renati Imperialis cujus præfectus est copia ipsi facta, cum Abbas Dominicus Passionæus græcæ, & latinæ studiosissimus eruditionis eum incitarunt, ut desiderium vindicandæ Ticinensis Academiæ, quod ferè deperierat rursus in ipso reviviscerет, isque peregrinus in Urbe Synopsim ejus typis editam evulgaret. Quæ ad Clementem XI. hodiernum Pontificem Max. literarum amantissimum, delata, effecit, ut ille Gattum ad osculum pedis admissum summa benignitate exciperet, & singularem dein quoque eidem per literas cujusdam, honorem pollicеretur. In Paviam Roma reversus Gattus, nihil amplius medius inter belli turbas de edendo opere cogitasset, nisi ipsum suis literis ad illud edendum

dum impulissent Viri toto terrarum Orbe celeberrimi Antonius Magliabecchius, & Lodovicus Antonius Muratorius ille Regiæ Celsitudinis Etruriæ, hic verò Serenissimi Ducis Mutinæ Bibliothecarius.

Itaque ubi in primo, secundo, & tertio operis hujus multam variamque eruditionem complexi capite de Urbis Ticinensis, ab Italis hodie Pavia dictæ antiquitate, & nobilitate, quædam hucusque ignota præfatus esset, & inter reliqua eam primum quidem municipium, & Coloniam Romanorum fuisse, deinde verò perpetuam Regum Langobardorum sedem factam, & in ea à Theoderico magnificum Palatium Regia Ticina, & Civitatula, seù sermone Italico Cittadella dictum fuisse extructum, notato P. Eustachii à S. Ubaldo errore, qui perperam hoc ad Urbis dedecus trahere conatus erat comprobasset: Nunc ad ipsius Gymnasii historiam conversus in cap. IV. Scholas Ticinenses jam sub Boethio, qui A. 526. à Theoderico morte fuit damnatus, & Ennodio Episcopo, qui teste Guilelmo Cave A. 521. est præmortuus floruisse demonstrat opinione Sacci, Bellovacensis, & Vossii de Ennodii ætate una rejecta. De hinc capite V. floruisse Ticini bonarum artium studia regnante Karolo Magno ex eo palam est, quod hic, antequam in Italiam veniret ex ea Urbe Parisios Petrum Pisanum, qui cum Julio Judæo disputationem illic habuerat acciverit, edocerique ab eo Grammaticam in palatio suo voluerit; posteaque vicissim Joannem Albinum Monachum pereruditum, qui cum Mercatoribus

ex Scotia Parisios venerat sapientiam venalem se habere professus Papiam miserit, ut sublimiores illinc scientias traderet. Id quod in capite sexto ulterius confirmat, contendens, quot licet Monachum istum à Karolo Papiam missum Sangallensis aliique Albinum, aliqui verò Joannem vocent, utroque tamen nomine Joannem Albinum vocatum non dubium sit; perinde ac Alcuinum Karoli M. præceptorem Flaccum Albinum nuncupatum scribit Joannes Mabillonius: quam sententiam etiam Jacobus Usserius in præfatione ad Epistolas Hibernicas adprobat. Ipsum autem Joannis Albini Scoti Papiam adventum circa A. 780. contigisse, id est quod in capite 7. ex Mabyllonio coniicit. Posthæc in capite IIX. ad Petrum Pisanum reversus, tum hunc e Scholis Papiensibus ideo à Karolo M. in Galliam vocatum, ut primus esset Parisiensis Academiæ institutor, cum Bulæo Parisiensis Universitatis Historiographo; tum Scholas Papienses illis sæculis non Episcopales, seù cœnobiales, sed publicas, & Universales fuisse comprobat. Quo facto in capite IX. Monasterium S. Augustini Jo: Albino seù locum illustrem in quo scientias profiteretur à Karolo M. assignatum, & in dicto Monasterio jam ante Karolum M. Benedictinos adfuisse: Canonicis itē Regularibus in eodem ante annum MCCXXII. locum datum cōtra Joannem Mabyllonium evincit. Ab his temporibus in cap. subsequente X. Scholas Papienses in publicam demum Academiam cum privilegio Karoli M., & Lodovici Pii erectas coniecturat; & Synodi VI. Ecclesiæ Gallic.
loco

loco de Scholis publicis diligentèr expenso Innocentii Cironii, & Ludovici Thomassini opinione circà ejusdem loci intellectum refellit, ac præcœteris quoque Monachi Sangallensis, siuè Notcheni Balbuli historiam ab erroribus, ipsi à Jo: Launoio publicè obiectis vindicat. Progressus ab hinc in capite XI. ad Karolum Calvum, ejusdem studium, & amorem erga scientias magnis Nicolai, & Joannis VIII. Pontificum elogiis extollit, ex eo etiam satis elucescentem, quod Ticini regio Longobardiæ diademate ab Ansperto Archiepiscopo coronatus, omnia Papiensibus, & sic probabilitèr, & Universitati ab Avo conditæ, & à Patre protectæ privilegia confirmaverit. Ubi, & Papiam ab Hunnis postea incensam, sed non planè eversam contra Frodoardum, & Hugonem Flaviniacensem affirmat; & celebrem inter Otricum, & Gerbertum coram Othone II. disputationem addit. Circa A. MXXX. Lanfrancum Papiensem magistrum omnium suæ ætatis doctissimum Parisienses Scholas à Petro Pisano institutas, restauraſſe, eundemque Papiæ Anselmum de Badagio Mediolanensem, qui postea sub nomine Alexandri II. ad Pontificatum evectus fuit, discipulum adeò sibi gratum fuisse in capite XII. meminit, ut cum Lanfrancus jam consecratus Archiepiscopus Cantuariensis Romam profectus esset propter litem cum Thoma Eboracensi Archiepiscopo ei Pontifex his verbis exceperit: *Assurgo tibi tanquam Magistro, & deosculor tanquam Pædagogum non tanquam Archiepiscopum.* Cæterum hoc sæculo, & superioribus, jus civile

in Italorum Academiis,Italia à Barbaris gentibus devaſtata ubique, & oppreſſa,velut prorſus deperditam delituiſſe monet; donec regnantibus Innocentio II. Pontif. Max., & Lothario II. Cæſare in bello contra Rogerium Normannum Amalphi, ſeù Melphi Urbe Apuliæ inventæ fuerint juris Pandectæ ſupra omnem memoriam diù ibi ſervatæ; & inſtitutos inde promotionum ritus ad lauream legalem, quos aliqui jam ſub Auguſto adfuiſſe falſo credant. Poſtea cum Academia Pariſienſis à Lanfranco Papienſi ad vetuſtum decus reſtituta ità floreret, ut ſæculo XII. ingens Germanorum, & Italorum multitudo ad eam conflueret factum inde ut Fridericus Ænobarbus, ne ex Italia, & Germania Pariſios peterent humanarum artium ſtudioſi eos inſignibus privilegiis ad Germaniæ, ac Italiæ Gymnaſia A. 1158. Authentica Habita invitarit, quam Gattus idcircò integram in cap. XIII. refert, ut ejus authorem, occaſionem, & ſenſum à Lupoldi Bebembergii, Petri Rebuffi, Bulæi, & aliorum falſis opinionibus tum hoc,tum ſequenti capite XIV. vindicet. Nec ſucceſſus etiam Ænobarbi conatum deſtituit. Nam privilegiis relatæ authenticæ Habita literarum cultores invitantibus, ita in Italia publicæ ſcientiarum Academiæ floruerunt, ut Gattus in capite XV. non ſolum Alexandrum Nechamum verè ſcripſiſſe credat, Pariſienſem tum Academiam Philoſophia, & Sacra Scriptura Italicis, Juriſprudentia autem Italicas Pariſienſi præcellere, ſed & Petrum Danielem Huetium erroris notet, quod in libro Gallico de origine Fabularum

Ama-

Amatoriarum vulgò Romanzi perperam asserat sæculo XII., & XIII. Italiam scientiarum, & virorum doctorum fuisse prorsus ignaram: cum tamen istis temporibus Papias vir ille Græcæ, atque Latinè eruditissimus, Ordo Monachorum Cistercienſium scientiarum cultu insignis, Guarinus de S. Victore, Guillelmus Papiensis, Joannes Bossianus, Sinibaldus de Flisco, & alii quamplurimi floruerint. Postmodum Scholas Papienses à Karolo IV. non institutas, sed restauratas ex ipso Cæsareo diplomate capite XVI. allato demonstrat; & ex eo Bernardini Corii, Paulli Merulæ, Laurentii Schraderi, & aliorum complurium errorem Ticinensem Universitatem demum, hac ætate institutam, refellit. Atque denique in capite XVII., quod restauratum à Karolo IV. Papiense Gymnasium fuerat à Bonifacio IX. P.M. confirmatum, & à Ludovico Maria Sfortia Duce Mediolanensi novis privilegiis illustratum fuisse ex utriusque diplomatibus confirmat.

Habemus ità in hoc libro stylo undique terso conscripto celeberrimæ Academiæ Ticinensis per XI. sæcula memoriam, una cum ejus vindiciis aliisque rebus multò pluribus Historiam Regum Langobardorum egregiè illustrantibus. Et jam à Gatto, quæ in hoc opere promissa legimus tum secundam historiæ partem de Viris illustribus Universitatis Ticinensis ad exemplum Antonii Riccoboni de Gymnasio Patavino dispositam, cum de antiquitate Urbis Ticinensis librum singularem, cum alia usque adhuc desiderata avidè expectamus.

DE EADEM HISTORIA TESTIMONIUM

Collegii PP. Trevoltii in Galliis in memoriis Sapientum An. 1704. *mensis Septembris pag.* 1566.

ARTICLE CXXXIII.

GYMNASII TICINENSIS HISTORIA, & vindiciæ à sæculo V. ad finem XV. &c. Auctore Antonio Gatto in eodem Gymnasio Antecessore. C'est-à-dire, *Histoire & Apologie de l'Université de Pavie depuis le V. siecle jusqu' au XV. avec plusieurs remarques sur l'antiquité de cette ville, par Antoine Gatti Professeur en Droit dans la même Université.* A Milan 1704. chez Joseph Pandolphe Malatesta *in* 8. *pages.* 166.

UNe negligence assez legere d'un Ecrivain a donné occasion à cette Histoire. Mr. Charles Antoine de Luca a composé un livre intitulé, *Laurea legalis*, où il parle avec Eloge de la plûpart des Ecoles publiques de droit, sans y rien dire de celle de Pavie. Mr. Gatti Professeur en Droit

dans cette ville, a trouvé que cette omiſſion étoit injurieuſe à ſon Univerſité, qui eſt en effet celébre par le grand nombre d'habiles Juriſconſultes qu'elle a produits: Pour reparer donc l'honnoeur de ſon Ecole ainſi oubliée, il a entrepris d'en compoſer l'hiſtoire. En s'y engageant il eſperoit tirer de grandes lumieres des Archives de ſon Univerſitè: mais il apprit bien-tôt qu'il avoit peu à eſperer de ce côté là; les titres de l'Univerſité ayant été perdus & diſſipez, lors que la Ville fut priſe au commencement du ſeiziéme ſiecle. Mr. Gatti ſe voïant deſtitué de ce ſecourſ, auroit tout à fait abandonné ſon travail, ſans vn voïage qu'il fit à Rome, où il eut l'honneur de baiſer les pieds de Sa Sainteté, qui l'exhorta de pourſuivre ſon deſſein. Il le reprit effectivement, ſitôt qu'il fut de retour à Pavie, & en peu de tems il s'eſt mis en état d'en publier la premiere Partie.

Les trois premiers Chapitres de l'Ouvrage ſont emploïez à faire léloge de la ville de Pavie. Paul Diacre dans ſon Hiſtoire des Lombards, met Pavie au nombre des villes d'Italie qui ont été bâties par les Gaulois. Mr. Gatti pretend que cet Hiſtorien ſe trompe en ce point, & que Pavie eſt beaucoup plus ancienne. Mais il attaque ſur tout Blondus, qui à cru que Pavie n'étoit qu'un village au tems de la ſeconde guerre Punique; parceque les Hiſtoriens qui ont parlé de cette guerre ne diſent rien de Pavie. Il eſt certain, que cette ville eſt fort ancienne, & qu'elle étoit conſiderable dés le tems des premiers Empereurs. On ne ſçait point en quel tems, elle a changé ſon premier nom *Tici-*

num

num en celui de *Pavia* ou *Papia* Pavie: mais on ſçait qu'elle avoit ce dernier nom avant que Charlemagne en eut chaſſé les Lombards.

Pyrrhus Ligorius a dit dans un manuſcrit, qui ſe garde dans la Bibliotheque du Cardinal Ottoboni, que Pavie étoit une Colonie Romaine. Il appuïe ſon opinion ſur une ancienne inſcription, ou entre autres choſes on lit ces mots COLON PAPIENSI. Mr. Gatti promet d'examiner à fond cette opinion dans un Ouvrage qu'il prepare ſur les antiquitez de Pavie. Cette ville a été conſiderable principalment ſous les Gots & les Lombards. Theodoric Roy des Goths y fit un Palais magnifique & des Thermes, avec un amphitéatre qui ne fut neanmoin achevé que ſous Athalaric ſon petit fils.

Ce n'eſt qu'au quatrième Chapitre que Mr. Gatti commence à parler des Ecoles de Pavie. Elles ſont ſi ancienes, dit-il, qu'il eſt difficile de remonter juſqu'à leur premiere origine. Ce n'eſt point à Paris, comme quelques uns l'ont cru, continue t-il, que Boëce compoſa ſont petit livre touchant la diſcipline que doivent obſerver ceux qui frequentent les Ecoles. Boëce lui même témoigne, dans la preface, qu'il le compoſa dans le tems où il avoit le plus à ſouffrir de la cruauté des Gots, & par conſequent dans le tems qu'il étoit à Pavie. Si cela eſt; comme le pretend Mr. Gatti, c'eſt une aſſez bonne preuve, que les Ecoles de Pavie étoient alors nombreuſes & floriſſantes.

Quoi qu'il en ſoit de Boëce, il eſt certain que dans le même tems, c'eſt-à-dire au commencement

du

du sixiéme siécle, Epiphane Evêque de Pavie avoit attirè auprés de lui, un grand nombre d'habiles gens, tels furent Silvestre Archidiacre, Bonose Prêtre, Ennodius Diacre. Ce dernier qui fut ensuite Evêque de la même Ville nous donne assez à connoître par ses livres, qu'il avoit luimême enseigné plusieurs anneés à Pavie. Il est croyable que les Ecoles établies à Pavie, par les soins d'Epiphane, y continuerent pendant plusieurs siécles. Paul Diacre parle d'vn celébre Grammairien, nommé Felix, qui s'étoit distingué à Pavie sur la fin du septiéme siécle; & d'un autre nommè Fabien qui étoit neveu de Felix.

Pierre Pisan qui enseigna la Grammaire dans le Palais de Charlemagne, étoit Diacre de l'Eglise de Pavie, où il avoit enseigné fort longtems. Notger raconte que deux Moines fort habiles étant arrivez en France des Isles Britanniques, Charlemagne en retint un à Paris pour l'instruction de la jeunesse, & qu'il envoya en Italie l'autre qui s'appelloit Jean Albin, auquel il donna le Monastere de S. Augustin auprês de Pavie pour y faire ses leçons. Ce qui a donné occasion à plusieur Auteurs d'écrire que l'Université de Pavie avoit été établie par ce grand Prince aussi bien que celle de Paris.

Que Charlemagne ait envoyé à Pavie un sçavant Moine venu des Isles Britanniques: qu'il lui ait donné le Monastere de S. Augustin situè auprès de cette Ville pour y tenir son Ecole, & pour y recevoir ceux qui voudroient s'y appliquer à l'étude; c'est vne chose qui est attestée en termes

for-

formels par Notger Moine de Saint Gal. Mais qu'en envoyant a Pavie le Moine Jean, pour y enſeigner les ſciences les plus relevées, il y ait en même tems erigé une Univerſité: que les Ecoles qui furent alors ouvertes dans le Monaſtere de S. Auguſtin, n'ayent point été de même nature que les Ecoles établies dans tant d'autres Monaſteres, c'eſt ſurquoy on ne doit pas demander le témoignage exprès d'aucuns Hiſtoriens.

Mr. Gatti a ſuppléé autant qu'il a pu à ce defaut par des conjectures favorables, parmi leſquelles celleci paroît la plus ſolide. Il eſt certain, dit-il, que Charlemagne a établi pendant ſa vie des Ecoles publiques dans trois Villes de ſon Empire. Cela paroît par un Concile tenu dans les Gaules ſous le Regne de Loüis le Debonnaire ſon fils, & par quelques autres anciens monumens.

Papire Maſſon, continue M. Gatti, & pluſieurs autres ſçavans homme jugent que Pavie eſt l'une de ces trois Villes, & ils le jugent avec beaucoup de fondement. On ne doit donc pas faire difficulté de reconnoître, que Charlemagne a établi une Ecole publique à Pavie. Il n'y a rien juſques là qui puiſſe être conteſté à Mr. Gatti: il ſeroit à ſoûhaiter qu'il pût auſſi prouver avec la même ſolidité, que les Ecoles publiques établies par Charlemagne à Pavie, y furent établies pour toûjours & pour toutes les Sciences.

Aprés la mort de Charlemagne Louïs le debonnaire ſon fils, fût prié par les Evêques des Gaules de ſoûtenir ce que ſon Pere avoit commencé avec tant de gloire, & d'etablir comme lui, des Ecoles publi-

publiques dans trois Villes de son Empire : on ne sçait point ce que cet Empereur répondit aux Evêques : mais on doit présumer qu'il leur accorda ce qu'ils soûhaiterent. Mr. Gatti veut qu'on croïe pareillement que Charles le Chauve, dans la grande Assemblée de Pavie, où il fût de nouveau reconnu Empereur, confirma les privileges accordez par son Pere & son Ayeul aux Ecoles publiques de cette Ville.

Pavie dans les siécles suivans fut assiegée & prise plusieurs fois: & on ne doit point être surpris de ce que les lettres y ayent été negligées pendant ces tems malheureux. Elle eût cependant vers le commencement du onziéme siecle, un de ses maîtres qui s'acquit beaucoup de reputation. C'est le celébre Lanfranc qui fut dans la suite Archevêque de Cantorbery : Alexandre second avoit étudie sous lui à Pavie.

Ce fût vers le milieu du douziême siécle que Frederic premier étant venu en Italie, accorda par son Authentique *habita*, plusieurs privileges à ceux qui frequentoient les Ecoles publiques. Quelques-uns ont prétendu que cette Authentique fût faite seulement en faveur de la ville de Boulogne. Mais Mr. Gatti soûtient qu'elle fût faite pour toutes les villes d'Italie, où il y avoit des Ecoles publiques. Ensuite il entreprend de justifier l'Italie contre un reproche qu'on lui fait de n'avoir eû presque aucun homme de lettres pendant le douziéme & le treiziéme siécle. Il avoüe cependans sans peine que l'Université de Pavie étoit fort déchûë en ce tems-là ; & que ce ne fut que dans le quatorziéme

siecle

ſiecle qu'elle fut rètablie dans ſa ſplendeur par l'autorité de l'Empereur Charles quatriéme & par le ſoins de Galeas ſecond Duc de Milan. Depuis ce tems là, elle a eu dans toutes les ſciences un grand nombre de Profeſseurs célebres.

Mr. Gatti fait eſperer un ſecond ouvrage, qui ne ſera pas moins curieux que celui-cy ; puis qu'il aura ſoin d'y recüeillir tout ce qui regarde les hommes ſçavans qui ont enſeigné ou étudié dans l'Univerſitè de Pavie.